

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**M. Hartwici Bambami[i], Ecclesiast. Petro-Paulini,  
Apparatus Enthymematico-Exegeticus**

Observationes In Novum Foedus, Exquisitiores Comprehendens

**Bambamius, Hartwig**

**Hamburgi, MDCCXXVII.**

**VD18 90548728**

Sectio IV. Canonum Harmonicorum Duodecada complectens.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-14064**

tur, ἵνα παρηγοῖσαν ἔχωμεν, CUM fiduciam habe-  
mus in die judicii. Ubi particula ἵνα non signi-  
ficit finem & effectum charitatis DEI, qua nos  
DEum diligimus, quasi ea sit causa fiduciæ,  
in judicio DEI habendæ; sed significationem,  
vel documentum dilectionis. Breviter: Caritas  
DEI in nobis perfecta, i.e. sincera & seria,  
non est causa fiduciæ in judicio DEI, hæc enim  
oritur ex fide in Christum; sed est causa in-  
fallibiter cognoscendi fiduciam. Non probatur  
perfecta charitas, ait Augustinus, nisi cœ-  
perit dies ille desiderari. Vid. B. Höpfner: de  
Justificat p. 686. seq. id contra Pontificios ostendentem.

4. 3. Ep. v. 4 Majus gaudium non habeo,  
ἵνα CUM audio, filios meos in veritate ambulare.  
Hinc & Flavius P. II. Clavis observat: Pecc-  
tiare est huic Apostolo, usurpare ἵνα pro ὅτι.  
UT pro QUANDO.

---

#### Sectio IV.

### Canonum HARMONICORUM DUODECADA complectens.

#### I.

Omnis Evangelistæ justum temporis ordinem in  
Historia Evangelica observant, nec trans-  
positio rerum temere fingenda est.

Prob.

Cc 2

§ 1.



## § I.

**Q**uia hæc dica Spiritui sancto impingenda minime est, quasi ipse, ordinis Auctor, in historia, quæ omnium summa est, ἀταξιαν affectarit. Ignis sane in historico nævus est, ordinem negligere.

2. Quia observatio temporis, apud Evangelistas crebro obvia, satis arguit, quod ordinem rerum gestarum in narratione suahaud neglexerint. Ita *Lucas* ipse præfatus ideo post alios scripturum, ut ordine quodam Historiam Evangelicam contexasit in multis ordinem historiarum per circumstantias notat, & in plerisque cum *Matto* in ordine convenit, juxta B. Chemnit, Hamon. Ev. Prolegom. c. 1.

3. Quia nec *Matthæus*, de quo in primis cœjici solet, ordinem temporis violat. Indubio enim, quæ in *Matthæo* occurunt, locorum & temporum notæ, eum ab hac labe faci vindicant. Quid? quod idem nonnunquam tempus locumque præ aliis Evangelistis certius determinat. Ita e. g. postquam dæmons in porcorum Gedarenorum gregem dem graverant, solus *Matthæus* c. IX. v. 1. expedit, Christum, nave vectum, rediisse Cpernaum, & ibi sanasse paralyticum, cum in domo quadam pranderet, advenire Jairum. *Lucas* vero c. VIII. 40. 42. indece mina



minate post redditum Christi è regione Gadenorum mentionem facit Jairi, omissa mentione loci, quo ad Chri stum ven adeoque accuratio in hoc Matthæus est. Conf. pluribus adversus Whistonum B. Gottfr. Olear. in Matth. Observ. II. III.

Injurii itaque in Scriptores Evangelicos sunt, qui ipso ἀχροντίας temere accusant.

## II.

Licet vero apud Scriptores Evangelicos Hystrologiæ quædam occurrant, eæ tamen ordini historiarum neutiquam præjudicant.

## I.

Sic Matth. X. I. electio & emissio Apostolorum, quasi simul eodem tempore facta describuntur; quas tamen distinctas historias esse, & diversis temporibus factas, ex Marco & Luca constat. Ita enim aliquando, quæ de iisdem personis narrantur, in narratione conjunguntur, quæ tamen non eodem, sed diverso tempore accididunt: notante B. Chemnitio in Prolegom. ad Harm. Ev. Cap. V.

2. Sic Matth. XI. est sedes propria Legationis Johanneæ ad Christum; quæ à Luca c. VII. 18. ex occasione famæ excitati filii Nainit. prolepticè relata fuit, una cum seqq.

usque ad v. 36. Non est igitur, quod apud *Matthæum*, h. l. hysterologiam statuamus. B. *Calov.* in *Harmon. Ev. To. I. Bibl. Ill. N. I.* fol. 59 b.

3. Sic *Matth. XIV.* & *Marc. VI.* occasione data Historia de Johanne, ab Herode occiso, inseritur. *Conf. Luc. III. 19, 20.* ubi, quæ de Johanne commemoranda erant, uno quasi filo breviter absolvit.

4. Ita *Matthæus c. XXVII. 37.* per hysterologiam narrat, tabulam cruci affixam, cui inscripta erat sententia mortis Christi, cum prius de vestimentis Christi divisis commemorasset; aliter ac *Joh. XIX.* Neque vero credibile est, milites prius de cruce descendisse ad vestimenta dividenda, & deinde rursus ascendisse, ut tabulam affigerent. Cujusmodi quidem prolepsis, aut Hysterologia omnibus Historicis usitata est, præcipue in rebus, quæ uno tempore acciderunt.

5. Ita *Lucas c. XXII. 21, 23.* per hysterologiam meminit Judæ proditionis detectæ id quod ante S. Cœnæ institutionem alias commemorandum erat.

6. Similiter *Lucas c. XXIII. 46.* mortem Christi designat, & v. 45. velum scissum; *Matthæus autem* prius de Christo mortuo, quam velo rupto prodit, c. *XXVII. 50, 51.* Et recte *B. Gerhardus* in *Harmon. Ev. ad h. l.* ex *Augustino* notat, *Lucam* voluisse miraculo adjun-



adjungere miraculum, cum ante de sole  
obscurato dixisset. Conf. & Appar. meum  
P. I. p. 152. seq.

Hujusmodi itaq; Hysterologiæ aut Anticipations, quippe quæ & in scriptoribus profanis sine vitio occurrunt, nec in Sacris culpandæ sunt.

### III.

*Temporis & loci diversitas certissima criteria  
sunt, historias, quæ prima fronte viden-  
tur eadem, pro diversis haben-  
das esse.*

"Enθεσις.

#### § 1.

**H**i nempe duo isti Historiæ oculi sunt, in Harmonia Ev. diligenter observandi, Chronologia & Topographia. Ubi igitur diversitas temporis & loci animadvertisit, et si quædam penes alios Evangelistas similes circumstantiae deprehendantur, ibi diversæ Historiæ ponendæ sunt.

§. 2. Posito hoc, diversitas concionum Christi, Matth. V. & Luc. VI. inducitur. Licet enim graviter erret Andr. Osiander, Annott. ad Harm. I. I. c. 29. qui fere integri anni spatiū inter has conciones intercessisse existimat; diversitatem interim monstrat I. Locus. *Matthæus enim expressis verbis dicit,*

Cc 4



cit, habitam fuisse hanc concionem in monte: *Lucas* infra montem. 2. *Habitus Christi Matth.* enim narrat, Christum sedendo docuisse; *Lucas* vero, quod stando in planiti prædicaverit populo. 3. Multa omittit *Lucas*, unde verisimile est, Christum eandem concionem, sed brevius, sub monte repetiū, & forsitan aliis auditoribus supervenientibus. Conf. Dn. *Lamberg.* *Harmon.* *Evangel.* 75. seqv.

§. 3. Ita diversus *leprosus* Matthæi est, VIII. 1. à leproso apud Lucam c. V. 12. cunque petitio leprosi, & responsio ac mandatum Christi fere iisdem verbis constet. Quia differunt, tum *ratione loci*: Ille *Lucas* prosus sanatus est in civitate aliqua, quæ de hoc non habetur, sed contrarium, quæ descendens de monte Christus in nullam illam civitatem, quam Capernaum, se contulit, c. IX. 1. quæ nunquam ita indefinita describitur, μία τῶν πόλεων; sed vel nomine suo designatur, vel civitas Christi dicitur & ante ingressum JESU in Capernaum, prosum præsentem ipfi obviam factum est. collatione v. 1. & 5. luculentum est: tum *ratione temporis*. Sanatio enim hujus factus post concionem montanam; illius autem apud Lucam sanatio antegressa longe montanam Christi concionem. Quæ temporis locique diversitas nos cogit, ut diversi



personas & historias constituamus. B. Calov.  
Harm. Ev. f. 49. b. Conf. B. Chemn. Harm. c. XLII.

§. 4. Sic diversus est *paralyticus* Matth. IX. 1.  
sqq. à *paralytico* Marc. II. 3. & Luc. V. 18. Etsi  
enim circumstantiae similes sint pleraque,  
*tempus* tamen omnino diversum est, ut pro  
eadem historia illa haberi non possint. Nam  
*Paralyticum* Matth. IX. post *concionem monta-*  
*nam* demum sanatum esse, è serie Matthæi  
manifestum est; ille vero *paralyt.* sanatus est  
ante istam *concionem*. Magna sane intro-  
ducitur confusio in serie ac relatione Matth.  
nisi statuatur hic *paralyticus* alius. B. Calov.  
f. 55. b. Conf. idem f. 14. Et vide plura e-  
xempla apud B. Sandhagen in der Einleitung  
p. m. 22. seqq.

§. 5. Canon hic Harmoniæ Evangelicæ in-  
signem affert lucein, & quoad ἐιρμὸν τῆς ἀκο-  
λαγίας omnia in aprico & plano constituit,  
adeoque nulla hic confusione opus est,  
nulla recapitulatione, aut ὑσερον πρότερον  
fingendum, ut historiæ ex posterioribus  
capitibus ad priora, & vice versa, transpo-  
nantur.

#### IV.

Dubio enim caret, easdem conciones sapis à  
Christo repetitas, & varia miracula, que  
fuerunt similia, sapis ab ipso  
facta esse.

Cc 5

Prob.



**Q**uia ejusmodi exempla in uno eodemque Evangelista obvia sunt. Ita verba Baptistarum, relata Joh. I. 15. iterum occurunt v. 27. Verba Christi de candela accendi occurunt Luc. VIII. 16. 18. & tamen postea etiam à Christo proferuntur, c. XI. 33. Verba Prophetarum, *misericordiam volo, & non sacrificium*, Salvator occasione ita ferente bis contra adversarios adducit, Matth. IX. 13. XII. 7. Sic Christum eadem occasione eadem adversariis respondisse, ex Matth. XII. 39. XVI. 4. constat.

2. Similiter Matth. V. 29. 30. *de oculo scandalizante* repetitur à Domino c. XVIII. 8. 9. De leniori in Sodomæos judicio futuro, Matth. X. 15. occurrit iterum cap. XI. 24. Et gnomus Salvatoris: *Nihil est occultum, quod non manifestum fiat*, Luc. VIII. 17. ab ipso denuo inculcatur, c. XII. 2. Cum igitur eadem Christi dicta in eodem Evangelista saepius occurrant, negari omnino nequit, Christum eandem doctrinam vel ob diversitatem auditorum, vel ob dignitatem rerum, distinctis temporibus saepius repetuisse.

3. Quoties de instante passione sua vel in uno Evangelista in memoriam revocavit Dominus? Prædicit eam Matth. XVI. 21. & sexto postmodum die repetit, c. XVI. 12.

mox,

esse



mox, paucis diebus elapsis, iterum mentionem ejus facit, v. 22. Quod si igitur unus Evangelista eadem Christi verba exiguo interjecto tempore repetit, quanto magis *χαγωνον* est, conciones, quæ alias videntur similes, pro diversis habendas esse, dum in diversis Evangelistis traduntur circumstantiis diversis. Singuli namque Evangelistæ non omnia Christi verba & facta exhibent. Recte Phil. Melanchthon: "Credo, Christum suas conciones legales, & Evangelicas sæpe iisdem verbis repetiisse, sicut appareret ex collatione Evangelistarum". Explicat. Evang. P. III. p. 309.

4. Hinc recte collegeris, formam precan-  
di bis datam à Christo, ex Matth. VI. 9.  
13. & Luc. XI. 2. 4. cum tempus aliæque  
circumstantiæ id evincant. Item, quod Christus uno die eandem quæstionem bis move-  
rit de Christo, *cujus esset Filius?* Ita primum  
quærerit ex Phariseis, Matth. XXII. 41. 42.  
mox iterum coram populo, Marc. XII. 35.  
Confer & supra de *Prophetis*, Appar. P. I.  
p. 712. seq. & P. II. sect. II. Can. 39.

### Prob. Posterius.

#### I.

Ita rectissime observavit *Augustinus* L. II. de Consensu Evangelist. c. 67. historiam de repurgatione templi, Joh. II. 14. diversam esse ab illa, quæ Matth. XXI. 12. &c. describitur.



bitur. Priorem ejectionem, primo anno factam, à solo *Johanne* describi; posteriorem vero, quæ sub passionis tempus contigit, à tribus Evangelistis enarrari. *Nota*, sum plurimi Interpretum, qui *Marc.* XI. peculiarem prorsus repurgationem statuunt, & deoque triplicem à Christo factam putant. Sed non opus est hac multiplicatione. *Vid.* *B. Seb. Schmid.* in *Fascic. disp.* p. 740. seq.

2. Ita *surdus* idemque *mutus* miraculo à Christo sanatus fuit, *Marc.* VII. 32. Ejusmodi vero morbum adhuc alia vice à Christo sublatum, memorat idem, c. IX. 25.

3. Duorum *paralyticorum*, à Christo sanctorum, meminit Matthæus, primi c. VIII. secundi c. IX. 2. 3. Et, quot *demoniaci* à Christo curati leguntur?

Plura hujusmodi exempla ex Pandectis Evangelicis produci possent. Sed hæc sufficient contra eos, qui alias ex similitudine facti identitatem inferre volunt, loci & temporis rationem haud attendentes.

## V.

*Adeoque actiones, aliquo modo parallelas non statim pro iisdem habenda sunt.*

*Enθεοις.*

**E**xempla, huc facientia, jam occurruerunt supra, *Can.* III. Et in his distinguendis diligens præ reliquis fuit *Abr.*



anno  
sterio-  
conta-  
a, sun-  
pecu-  
nt, +  
putan-  
. VII.  
culos  
smode-  
to sub-  
o san-  
III. sa-  
Chin-  
ndefis-  
c suffi-  
tudine-  
oci &  
  
ellela-  
t.  
currut-  
nguac-  
br. C

vet du Vivier, quo de vid.Dn. Autores Relat.  
innoc. ad ann. 1706. p. 257. 258. & Rev. Zei-  
bich. Monita ad Harmon. Ev. p. 12. 13. Conf.  
idem de duplice Christi unctione in Horis  
passion. p. 53.

## VI.

Vicissim paucularum circumstantiarum varie-  
tas non ostendit, in varias historias dispescen-  
das esse narrationes, non per omnia simi-  
les, si cætera consentiant.

## Prob.

### I.

Ita, quamvis in narratione curationis servi  
centurionis Capern. quæ legitur Matth.  
VIII. & Luc. VII. nonnulla sit circumstantia-  
rum varietas, non est continuo colligen-  
dum, duas esse historias, cum, ad summam  
rei quod attinet, consentiant Evangelistæ.  
Apud Matth. quidem Centurio ipse Christum  
alloquens inducitur; apud Lucam vero de-  
scribitur ablegans ad Eum Judæos, qui ne-  
gant, ipsum ausum esse venire. At hæc mi-  
nime pugnant. *Matthæus* enim, more apud  
Scriptores sacros receptissimo, brevius rem  
narrans. ipsum facientem describit, quod per  
alios fecit. Nisi dicere velis simplicius, Cen-  
turionem prius per legatos Christum com-  
pel-



pellasse, postea vero ipsummet Eum adiisse  
Conf. Cleric. de Harmon. Ev. Diss. III. Can.  
VII.

2. Ita *Andr. Osiander* non admittit Evangelistarum harmoniam de tempestatis sedatione, Matth. VIII. 18. Marc. IV. 35. Luc. VII. 21. sed alias ac distinctas constituit historias, Matthæi quidem priorem faciens, Mari vero & Lucæ longo intervallo posteriorem, Lib. I. Harm. c. 39. Sed nulla necessitas est hasce historias, loco vel tempore haud discrepantes, diversas facere. Conf. & B. Lys. Harm. c. 64.

3. Ita sunt, qui diversas historias faciant, Matth. IX. 18. unam, alteram Marc. V. 27. & Luc. VIII. 41. Duas nempe puellas à morte excitatas, duas item hæmorrouosas famatas. Sed eadem temporis ac loci περισσως easdem esse personas, non diversas, satis vincit. Evidem datur hic aliqua apud Evangelistas discrepantia. Nam *Marcus* pueram in extremis fuisse dicit; *Lucas* vero eam mori, & *Mattheus* jam defunctam assert. Sed conciliatio facilis, modo circumstantia attendantur. Narrant enim Evangelista quod, cum domo exiret pater, filia jam animam agere cœperit. Idcirco Dominum accedens initio sic precatur. Dum autem cunctatur Dominus propter interventum alterius miraculi, in hæmorrouosa editi, veniunt interea domestici dicentes, filiam esse mo-



mortuam. Quod triste nuntium audiens  
Jairus, denuo supplex fit Domino, & indi-  
cat, filiam jam defunctam esse. Vid. B. Alt-  
bōfer: in Harmon. emedull. p. 601. s.

Ita Evangelistæ facile conciliari possunt,  
ubi inter se discrepare videntur. Conf. ex  
professo B. Wulther. in Harmon. Bibl.

## VII.

Nec contradictionis, nec corruptionis suspicio  
est, cum exigua varietas circumstantiarum aut  
ordinis in narratione unius ejusdemque  
historiæ apud Evangelistas occurrit.

## Prob.

### I.

Ita Evangelistæ sermones Christi aliis quan-  
doque verbis referunt, interdum addunt,  
interdum detrahunt. Nec inde tamen dis-  
crepantia statuenda. e.g. in historia Legis-  
periti, Marc. XII. 29. coll. Luc. X. 27. ubi in  
posteriori loco omittitur: *Audi Israël*, &c. In-  
terim sufficit, ab uno Scriptore θεοπνευστῷ  
fuisse allegatum. Confer Appar. P.I. p. 162.  
seq. Notat B. Grünenberg. in Colleg. Ms. ad  
Joh. XVIII. 9. sacrorum Scriptorum inge-  
nuam scribendi licentiam, non semper ipsa  
verba, etiamsi absque negotio & memoriae  
molestia, velut θεοπνευστοὶ possent, repeten-  
tium;



tium; sed respicientium semper ad sensus  
veritatem, verbis licet aliquantulum mu-  
tatis.

2. Ita Matthæus & Lucas quoad ordinem  
tentationum Christi in deserto discrepant.  
Quid hic dicemus? quærerit B. Finck: Cent.  
can. 41. an affirmabimus, Evangelistas sibi  
esse contrarios? Minime gentium. Nam Lu-  
cas descripsit cum particulis, ordinem al-  
quem designantibus. Unde idem hunc ca-  
nonem format: *Non est contradic̄tio in Scriptu-  
ris sanctis, quando a diversis autoribus res aliquae  
narratur, eodem ordine non observato.*

3. Ita Christum Matthæus sedisse referat  
super *asinam & pullum*, c. XXI. 5. cum reliqui  
tres Evangelistæ *pulli solius* mentionem fac-  
iant. Sed enim vero vectus est Dominus  
super pullo solo, etiamsi simul ad manus  
esset asina, pulli mater. Locus vero è *Zacharia*  
in conjunctione copulativa καὶ recte ex-  
plicatur: *Et quidem pullum &c.* itemque νί<sup>την</sup>  
πάνω αὐτῶν non exponendum est de asina  
& pullo, sed de vestimentis, quibus impo-  
tus est Dominus. Hinc Marcus & Lucas  
mentionem quidem asinæ, sed solius pullo  
fecere, sicut & Johannes, qui ὥδη ποιεῖ, asellum  
introducit.

4. Sic latroni utriusque tribuitur, quod pro-  
bra in Christum jecerit, Matth. XXVII. 43.  
At Lucas unum tantum illorum assignat  
XXIII. 39. Conf. Appar. P. I. p. 165.



5. Similiter, qui Evangelistarum pauciora habet, non negat plura, modo ne ulla sit exclusionis nota. e. g. Matth. VIII. Marc. IV. Luc. VIII. narratur historia de dæmonibus, qui corpora suum subierunt: *Marcus* quidem & *Lucas* unum virum, impuris spiritibus obsessum, memorant; sed *Matthæus* duos fuisse ait.

Pulchre D. Chrysost. Homil. I. in Math. "Evangelistæ in multis diversi inter se inventi sunt ac dissensi: imo hoc ipsum maximum est testimonium veritatis. Si enim in omnibus consonarent, nemo inimicus credidisset unquam, sed eos communī ad decipiens consilio congregatos fuisse" &c.

### VIII.

*Spiritus S. Historicam Evangelistarum seriem ita disposuit, ut mutuas invicem contulerint operas ad historiæ ordinem atque complementum.*

#### Explicatio.

##### I.

**S**ic iter Christi maritimum ad Gedarenos habent tres priores Evangelistæ; *Matthæus* vero cap. VIII. 13. mandatum trajiciendi, à Christo datum, prodit, & v. 19-22. inducit Legisperitum, societatem trajiciendi petentem, *Marcus* autem c. IV. 1. s. addit, quæ

Dd

inci-

inciderunt, antequam altum peterent: & digne omnes tres conveniunt de ipsa navigatione.

2. Sic historia de IESU ambulante super aquas, Joh. VI. 19. & quod discipuli eum n vigio excipere voluerint, plenior redditus ex Matth. XIV. 30. ubi memoratur, Petrus prius ad Christum contendisse super aqua Conf. Historiam Nativitatis Christi ex Matthæo & Luca, itemque Historiam Resurrectionis ex IV. Evangelistis.

3. Similiter oraculum Christi de Baptismo, solius Matthæi est, c. XXVIII. 19. Oraculum Christi de pœnitentia & fide, solius Marci c. I. 15. de passione Christi, & ingressu in gloriam solus Lucas commemorat, c. XXIV. 26. & mandatum Christi de præcepto novo unus Johannes recenset, c. XIV. 34. de alia, cuilibet Evangelistæ peculiaria Rev. Zeibichii Monitis ad Harm. Ev. p. 14.

Quadrat huc B. Lutheri observatio: wissen / daß der Evangelisten Gewohnheit ist / einer von einerley Sachen saget / weiter und mehr denn der ander / und einer aussenläßt / daß der andre saget / To. III. Altenb. f. 876. a. Ad eundem modum B. Lysurus notat in Harm. Ev. c. LII in: "Evangelistæ mutuas operas tradere solent in descriptionibus. Ut vel hinc colligantur quam necessaria singulorum Evangelistarum collatio sit. Conf. & Clericus Diff. III. Harmon. Ev. Cap. III.



Est hic perinde, ac in Harmonia Musica,  
ubi respiramentum alterius concentoris  
quandoque singularem auribus conciliat  
voluptatem.

## IX.

*Quoniam non unus Evangelistarum omnia Christi facta ex intentione Spiritus S. conscribere debuit, hinc factum est, ut saepe apud Evangelistas historiae conjungantur, quæ tamen diversis temporibus contigerunt.*

## Prob.

## I.

Sic *Lucas*, c. II. 39. annotat, parentes Christi perfectis ordine rebus, quæ secundum Legem DEI in circumcisione & purificazione fieri debebant, reversos esse in Nazareth, & ibi habitasse; ubi tamen necessario interponenda sunt, quæ *Mattheus* scribit, de fuga Christi in Ægyptum, c. II. 13. seq. Non enim hoc voluit Lucas, quasi Christus, sex hebdomadum puer, Hierosolymis immediate in Nazareth fuerit perlatus; & ex Nazareth deinde in Ægyptum secesserit; sed voluit Evangelista memoratis verbis historiam aliquot annorum Christi in compendium redigere, & docere, quod postquam perfecissent, juxta legem Domini, quæ oportebat, tandem pervenerint in Nazareth, licet non

Dd 2

con



confestim aut immediate; sed post aliquo  
annorum tempus; ita quidem, ut Hieros-  
lyma Bethleemum redierint, Bethleemo-  
vero in Ægyptum concesserint, ac tandem  
in suo reditu venerint ita in Nazareth, sicut  
Lucas refert. Quas circumstantias & inter-  
iectas historias inter actum illum purificatio-  
nis in templo, & inter adventum illorum in  
Galilæam, quia Matthæum Evangelista  
diligenter persecutum constabat, Lucas stu-  
dio prætermisit. vid. B. Æg. Hnnn: Opp. To-  
III. p. 38.

2. Sic & Lucas dicit, c. IV. 13. 14. Iesum  
tentatione consummata, rediisse in Galilæ-  
am. Ubi tamen ex Joh. c. I & II. multa in-  
serenda esse, res ipsa ostendit. conf. B. C.  
Finck. Cent. I. can. 98.

3. Sic Matth. III. 1. dicitur: *IN DIEBUS*  
*illis advenit Johannes Baptista &c.* Quod tamen  
ratione temporis distinguendum est à praeceden-  
tibus. Optime B. Dorscheus, Comm. posthu-  
m. in IV. Evangel. p. 46. Hæc phrasis, ait, non sem-  
per ad res brevi ante factas respiciendum  
monet, quasi hæc, quæ c. III. recensentur  
statim post illa, quæ c. II. 22. habentur, re-  
ditum nimirum Christi ex Ægypto, & he-  
bitionem in Nazareth fixam, gesta fu-  
rint; longum enim temporis intervallum  
intercessisse, notum est; Sed hæc phrasis  
sæpe longissimum tempus notat, ut consta  
ex Jud. XVIII. 1. Ezech. XXXVIII. 17. Not.



liquit  
erofos  
leemo  
andem  
n, sicut  
z inter-  
ficatio-  
rum u  
elistan  
cas stu  
pp. To  
JESUM  
Galila  
ulta in  
B. C.  
DIEBIS  
tamen  
præce-  
l. polli  
on sem  
endum  
sentur  
tur, re  
& ha  
ta fus  
vallun  
phras  
consta  
7. No  
ig.

ig itur præcise tempus notatur, quo Christus rediit ex Ægypto, sed potius ad verbum κατώκησεν c. II. 23. respicitur, ut sensus sit: In temporibus illis, quibus habitavit Joseph cum Maria & Christo in Nazareth, contigit id, de quo hoc c. III. dicitur. Idem suppedit exemplum aliud, p. 72. fin.

4. Similiter ubi Joh. VI. 1. legitur: POST HÆC abiit JESUS trans mare Galilææ, communis illa connectendi formula: μετὰ ταῦτα, tantum est *connexiva*, non simul eorum, quæ interrupto ordine ac individuo temporis nexus se invicem subsecuta sunt, *continuativa*, cum fere annum spatium intercedat inter hanc miraculosam populi tam numerosi cibationem, & ea, quæ antecedente capite recententur, quemadmodum appareat luculentissime ex collatione c. V. 1. cum c. VI. 4. Ubi unum Pascha excipit alterum. Vid B. Wilb. Lyser: *Disput. Exeget. in Joh. Disp. VI. Th. 2.* Atque hinc patet, Johannem quasi ἐκλογὰς quasdam addidisse iis, quæ ab Evangelistis cœteris erant consignata.

Canon eo conducit, ut Monotessaron Evangelicum èò accuratius ordinetur, nec fallacia compositionis & divisionis quoad Historias sacras temere committatur. Conf. & B. Finck: Cent. I. Can. 98.



## X.

*Quando post narratam aliquam Historiam unum  
Evangelista hanc, alius aliam subjungit; tunc  
nendus est ordo historiae ejus Evangelistae, qui  
manifestiorem temporis notam & seriei  
historicae suppeditat.*

## Explicatio.

## § I.

**I**ta post servum Centurionis *Matthæus* sub-  
jungit socrum Petri; *Lucas* vero filium  
viduæ. Sed *Lucas* utitur particula, qua series  
terum gestarum notatur; *Matthæus* vero c.  
VIII. 14. generali tantum formula conne-  
xionis subjungit sanationem socrus Petri. Cha-  
racter igitur chronologicus non est præte-  
mittendus. Semper enim Evangelistæ cla-  
vem ostendunt, qua ad Harmoniam perve-  
niri possit, adeoque voculæ, temporum in-  
dices, minime negligendæ sunt.

§. 2. Ita *Matth. X.* & *Luc. IX.* 1-6 conveniunt  
ambo Evangelistæ, in Historia emissionis  
Apostolorum tradenda; sed porro dispicie-  
dum est, uter eorum ordinem historiæ ab-  
rumpat, aut continuet? *Matthæus* c. XI. de-  
terminate subjicit, Christum post egressum  
Apostolorum docuisse in civitatibus, & Jo-  
hannem, auditis operibus Christi, misisse a  
Eum duos discipulos. *Lucas* vero c. IX. 7. se-  
omissa historia miraculorum & concionum

Chr.



Christi, statim descendit ad Herodem, admirantem miracula Christi, & credentem, Johannem surrexisse: quam historiam etiam tradit *Matthæus* c. XIV. 1. s. Unde perspicuum est, omnia illa, quæ intercedunt in Matthæo à c. XI. usque ad c. XIV. esse particularem Historiam, à reliquis Evangelistis prætermissam, adeoque inter *Luc.* IX. 6. 7. interponendam.

§. 3. Ita *Matthæus* c. XIV. 14. s. memorat, Christum saturasse 5000 homines quinque panibus & duobus piscibus; cuius historiæ mentionem quoque facit *Lucas*, c. IX. 12. s. eidemque subjungit historiam, de confessione Petri, sine ulla temporis annotatione: verum in *Matthæo* expresse indicatur, quid Christus post hanc saturationem egerit, consentientibus *Marcus* c. VI. 45, usque ad c. VIII. 26. & *Johanne* c. VI. 15. s. Confer Dn. *Lamberg.* in *Harmon. Ev.* p. 6. Plura exempla legenti ultro occurrent.

## XI.

*Unus Evangelista explicat alterum.*

Prob.

I.

Ita si quæras, quænam *Matth.* IX. 1. Christi fuerit civitas? *Marcus* expresse Caper-naum appellat: ibi enim Christus communiter habitare consuevit. Et *Matth.* IV. 13.

Dd 4

difer-



disertis verbis afferitur, Christum, relicto Nazareth, venisse in Capernaum, ibique habitasse. Conf c. XVII. 24. ubi Capernaumi à Christo, velut civi, tributum exigitur.

2. Ita si quæratur: Utrum verbum *βιάζεται*, quod mediæ formæ est, Matth. XI. 12. sensu activo, an passivo accipiendum ostendit Lucas. XVI. 16. activo sensu esse sumendum, ubi redit: *Quivis eis dūtην βιάζεται, in illud regnum cœlorum*) vi perrumpit. Alia est regni celestis *βία*, quæ præcedit, alia τῶν *βιασῶν*, quæ sequitur. Regnum enim hoc per verbum & spiritum vim suam in cordibus hominum exserit, Act. XXVI. 18. cuius consequens est, quod *βιασαὶ ἀρπάζονται*. Erudite observavit Morus, ad publicanos potissimum respici. *Matthæum ipsum, Zachæum* aliosque, qui cum antea *βιασαὶ*, ut ipsorum propria fuerit non modo *βία*, sed etiam *ἀρπάζονται*, jam alio sensu *βιασαὶ* dici, rapaces regnorum. confer Luc. VII. 29. Matth. XXI. 31. Corn. Adami in *Observatt. Theol. Philol.* c. V. Alias B. Dorscheus notat, verbum *βιάζεται* h. l. in bonam partem usurpari, pro fervido, & nullum repagulum, retinaculum nullum paciente fidei justificantis conatu, arripientis magna fiducia regnum cœlorum, offerentis & quasi obtrudentis se concitatione quadam spiritus ipsi regno cœlorum, quod olim à Judæis læreditate quasi quadam possessum, nunc à gentibus etiam arripitur. *Pentadec.* pag. 257.

3. Sic



3. Sic Matth. XI. 19. quæritur: Num verbum ἐδικαιώθη in meliorem, an vero dete-  
riorem partem, sumendum sit? Sed quæstio  
deciditur ex Luc. VII. 29. 35. Ubi ἐδικαιώθη  
respondet voci præcedenti ἐδικαιώσαν, &  
verbum contrarium ἀλεῖται v. 30. ponitur.  
Sensus: Et (tamen) justificata (justa agnita &  
inventa) est Sapientia (illa cœlestis & substan-  
tialis, Filius DEI) à filiis ipsius, (morigeris,  
& ordinationi divinæ se submittentibus.) Ut  
adeo hic instituatur αὐτοῖς inter Phariseos,  
reprehendentes Christum ab una, & omnes  
eos, qui absolvunt celebrantque Christum,  
ab altera parte. Vid. pluribus B. Job. Tarnov.  
Exerc. Theol. p. m. 465. f. B. Calov. Bibl. Ill. ad  
h. l. fol. 279. B. Stolberg. in pecul. Dissert. quæ  
Tractatui ejus de Solacismis subjuncta est, p.  
343. seqq.

4. Sic Matth. III. 16. videtur ambiguum,  
quisnam viderit Spiritum Sanctum descen-  
dere, Jesusne, an Iohannes? item super  
quem descenderit? Quidam enim codices  
habent relative, ἐπ' αὐτὸν, nonnulli recipro-  
ce, εἰφ' αὐτὸν, legunt. Sed lectio relativa in  
nostris Codicibus est communior & omni-  
no vera, eademque in primis probatur ex  
collatione Joh. I. 32. qui locus est velut Exe-  
gesis loci apud Matthæum; ubi Baptista ait:  
*Vidi Spiritum descendente velut columbam de cælo,*  
*¶ mansit super illum.*

D d s

s Sic



5. Sic Marc. X. 11. ait Salvator: *Quicunque dimiserit uxorem suam, & duxerit aliam, mæcatur super illa.* Ne vero id simpliciter accipiatur, apud Matthæum additur exceptio, *nisi propter fornicationem,* c. XIX. 9.

6. Similiter Matth. XIX. 23, verba optimi Salvatoris sunt. *Dico vobis, quod difficultas dives intret in regnum cœlorum.* Cave autem, id de quovis divite intellexeris: ideo apud Marcum, c. X. 24. explicatur, per eos, qui confidunt in opibus suis. *Nota* hic obiter, per divinam omnipotentiam posse fieri, ut corpus in multo minori spatio existat. *Camelum per foramen acus transire,* Matth. XIX. 24. adhuc facilius est, quam divitem salvare; quod tamen possibile apud DEum esse, ex v. 26. apparet.

7. Ità quæritur, quid per *abominationem dissolutionis,* Matth. XXIV. 15. intelligatur. Variæ hic dantur Interpretum sententia, quarum undecim collegit B. Gerhard. Harm. Eu. c. CLX. Sed optimam explicationem dat Christus ipse apud alium Evangelistam, quod exercitum Romanorum intelligat, Luc. XXI. 20. Hic enim ex Idololatri� constans, *ἀνγελος* Judæis erat, bellicam *ἐρήμωσιν* inferens.

8. Nec minus disceptant inter se Interpretes, quid Matth. XXIV. 30. per *signum Filii hominis*, in extremo die apparitum, innuantur? Sed res difficultate caret, quia Marcus, c. XIII. 26, & Lucas c. XXI. 27. de ipso Filio homi-



hominis explicant. Ita enim status regimini-  
nis s̄æpe ponitur pro appositione. Ut: *signum*  
*Jonæ*, i. e. Jonas, Matth. XII. 39. *signum circum-  
cisionis*, i. e. *circumcisio*, Rom. IV. 12. Simili-  
ter hoc loco, *signum*, quod est Filius hominis

9. De cœtero secundum datam Regulam  
mirum videri posset, quod nec unus Evan-  
gelistarum verba Christi *Testamentaria* ex-  
plicuerit, si illa non secundum literam, sed  
metaphorice intelligenda essent.

Nullus sane melior modus, exponen-  
di unum locum Scripturæ sacræ, quam ad-  
ducere alium ex eadem Scriptura. Et sic,  
quando unus Evangelista alium declarat, illa  
est habenda tanquam verissima expositio,  
falsa autem erit illa, quæ fuerit huic contra-  
ria; ut egregie quidem monet *Did. Stella E-  
narrat*: in *Lucam* c. XXI, fol. 439.

## XII.

*Quo Harmonia Evangelica eo concinnius* insti-  
tuatur, tenendum est, apud Johannem tria  
priora Ministerii Christi paschata nume-  
rari, secundum quæ Historia commo-  
de digeri potest.

### Explicatio.

#### § I.

*Observatione dignum est, quod Johannes*  
aliquot assignet festa Paschatis, ad quæ  
Chri-



Christus Ministerii sui tempore adscenderit, unde supputatio & distributio annorum, a reliquis neglecta, velut ex certis colligi potest fundamentis.

§ 2. Tria enim expresse nominat Paschata, *primum* Joh. II. 13. post miraculum, in nuptiis editum. *Secundum* c. VI. 4. post miraculum quinque panum: *Tertium*, in quo passus est Christus, c. XIII. *Quartum* vero c. V. quamvis *αδιοείσως*, inīnuat.

§ 3. Unde planus & apertus Epilogismus annorum, quibus Christus in ministerio versatus fuit; nimirum à primo paschate, Joh. II. 13. usque ad festum, Joh. V. 1. est *primus* annus. Ab illo vero festo, usque ad Pascha, cuius mentio fit Joh. VI. 4. est *secundus* annus. Inde usque ad Pascha Joh. XIII. 1. in quo crucifixus est Christus, supputatur *tertius* annus. Ratio vero temporis, quod à Baptismo Christi intercessit usque ad *primum* Pascha, supputationem extendit in *quartum* annum, qui tamen non est completus.

§ 4. Quibus quidem ex veris fundamentis constitutis, facile potest colligi ætas Christi à nativitate usque ad passionem, quod trigeminum quartum annum egerit; *erat enim, cum baptizaretur, fere triginta annorum*, Luc. III. 23. vid: erudite atque solide hæc demonstrantem B. Chemnit: *Prolegom. Harm. Ev. c. III.* ex quo tante repetit Christoph. Pelarg. Comm. in Joh. p. 4.

Eur.



Ἐπιστολὴν.

usus Harmoniae Evangelicæ insignis valde atque fructuosus est.

Prob.

I.

Quia ita maledicta Antiscripturariorum feliciter retunduntur, qui Historiam Evangelicam inconcinnam, sibi adversantem, blasphemicalumniantur, uti jam ex veteribus fecerunt *Porphyrius* atque *Celsus*, & hodienum proh dolor! dives hujusmodi Bibliomastigum seges est.

2. Quia plurimum jucunditatis religiosæ habet hæc consideratio, dulcissimi Salvatoris nostri totam vitam & salutaria acta certo aliquo ordine memoria posse complecti, & mente circumferre. Memoriæ certe subsidium non contemnendum est, totam historiam Evangelicam, certo ordine temporum, locorum & rerum gestarum distributam, animo complecti & menti infigere posse, quæ scilicet fuerint cujusque anni peregrinationes, conciones & acta: qua occasione & quo ordine in plerisque consequentia antecedentibus attexantur. Quæ observatio præter jucundum memoriæ subsidium, ad religiosas etiam considerationes & pias meditationes vitæ & officii JESU, incitamenta præbet suavisima. Vid. fusijs B. Chemnit: Proleg: Harm. Ev. e. II.

3. Sigil-



3. Sigillatim, ad veritatem elogii demon-  
strandam , ubi Christus Matth. XI. 23. ait,  
*Capernaum usque ad cœlum clatum fuisse;* mon-  
strat Harmonia Evangelica , Christum unde-  
cim vicibus urbem Capernaum sua præsentiu-  
beasse, doctrina & miraculis suis ita eam in-  
struxisse, ut quasi coelum terreste eam deli-  
gnarit. Unde satis elucet Christi amor &  
inexhaustus ardor in procuranda hominum  
salute.

4. Adeundem modum, si quis ostendere  
vellet, quomodo populus in Galilæa, in te-  
nebris oberrans , viderit lucem magnam  
tempore Christi , deprehendet ex historia  
Christum post temptationem in solitudine,  
Joh. I. 44. usque ad primum Pascha hæfisse in  
Galilæa, Joh. II. 1-12. Posthæc mansit qui-  
dem in Judæa menses octo, sed tamen reli-  
quos quatuor menses in Galilæa exegit, usque  
ad secundum Pascha , Joh. IV. 35. c. V. 1. &  
ab hinc ferme annum cum dimidio in Gali-  
læa versatus est, ut collatio cum Joh. VII. 1.  
innuit.

5. Nec minus ad illustrationem loci Hebr.  
XII. 3. conductit, ex historia Evangelica  
probasse, quoties Christo in Judæa contradic-  
tum fuerit. Saltem, quod Christus dæmo-  
nium habuerit, sex ei vicibus ab adversariis  
exprobratum est.

6. Numerum ægrotorum & laborantium  
quocunque morbo vel infirmitate , Harmo-  
nia



nia Evangelica ordine subministrat. Tres à mortuis suscitati sunt &c. vid. data opera de his omnibus agentem B. Sandhagen: *Introduct.* in Harm. p. m. 54. sqq.

7. Novem vicibus Christum passionem suam prædixisse observes, propter discipulorum incredulitatem, qui segniter adduci potuerunt ad eam credendam.

Quis hinc non videt, diligentiam esse piis dignam, in sacro sancta illa historia de concinno ordine sollicitum esse?

### Sectio V.

## Specimen Theologiae vere Apostolicæ, ex ACTIBUS APOSTOLICIS decerptum.

### Aphor. I.

*Religio Christiana est vera & divina Religio.*

Ἐκθεσις.

### § I.

**N**otum est, quod Veteres suas *Apologias* scripserint, Hinc & Lucas, ἀσφαλῶς scribens, hoc in universum contendit, ut *Apologias* omnes Christianæ Religionis, quæ in primo principio factæ, diligenter & late colligat.

§. 2. Nimis universalis *Lucæ* demonstratio hæc est: Quæ Religio nititur Autore, è mor-



è mortuis redivivo, & ad sedem sive thronum DEI profecto; propagata est autem Collegio, nullo exteriore apparatu ad totius orbis reformationem progresso, impleto vero cœlesti præsidio, quo statim omnibus linguis calluit: Constat visionibus, sapientia plenis, miraculis Divinitatem instantibus, habet mirandam cum antiquissimis Judæorum monumentis consensionem: martyriis confirmata est, divinam vim exhibentibus, lumini naturali non est adversa, præceptis abundat sanctissimis, & vaticiniis gaudet infallibilibus; ea est vera & divina Religio. Talem autem esse Christianam Religionem, probat tota Historia Apostolica. Ergo. Quam quidem postmodum per singula capita more suo ducit B. Dorscheus Comment in Actus Apostolorum hactenus ἀνεδότω.

## II.

*Eadem quoad συστατικὰ in V. & N. T. datu Religio.*

Ἐκθεσις.

## §. I.

Prob. ex Act. XV. 11. Per gratiam Domini nostri, J. C. credimus salvari, quemadmodum & illi. Difficultas mera est in eo, quorū pertineat illud κακεῖνο? Resp. non Gentes intelligi, quæ in controversia erant; sed Pa-

tres



tres, qui erant extra controversiam positi, Ab his etiam removebatur possiblitas ser- vandæ legis. Et per sejcum regula boni Inter- pretis convenit, ad subiectum proximum re- ferre, quod potest proximum haberi. Vir- tualiter fides Patrum eadem erat, quæ no- stra, quanquam in terminis terminantibus quædam fuerit διάκρισις. Confer Act. XIX. 4. & B. Dorshei Disp. ad Hebr. XIII. 8. §. 38. quæ Comment. in Epist. ad Hebr. annexa reperitur.

§. 2. Locus Hebr. IX. 26. ad hunc respi- cit, in quo quasi per parenthesin includit, quod omnino, quotquot justificati in V.T. fuerint justificati sanguine J. C. Debebat A- postolus probare, ingressum Christi in san- ctum sanctorum semel factum, & probat inde, quia alias saepius debuisset mori, h. m. Cujus ingressus, ad reconciliationem apud DEum impetrandum, unicus non sufficit, illum oportuit saepius mori ab origine mundi. Atqui Messiam, juxta Prophetas, non oportuit saepius mori. Ergo. Probatio Majo- ris hæc est, quia ab origine mundi homi- nes salvati fuerunt per redemtionem, ingres- su in cœlos per sanguinem proprium impe- tratum. Nisi itaque Christi ingressus in coelum per sanguinem proprium æquaret omnia secula, & ita responderet omnium seculorum peccatis, omnino fuisset ille in- gressus iterandus, vel saepius debuisset pati

E e

Chri-



Christus: Dilemmatice potest proponi sententia Pauli: Aut unicus Christi ingressus valuit ab origine mundi, aut oportuit eum ab origine mundi sæpius mori & ita ingredi in cœlum. Atqui posterius est absurdum, nullo enim modo cum dignitate Messiae eset coniunctum, ut omni seculo moreretur. Ergo prius est verum.

III.

*Inter verbum scriptum & auditum non datur  
essentialis differentia.*

Prob.

**E**x Act. XIII. 27. ubi dicitur, quod *voces prophetarum per omne sabbatum legantur*. Ita Scriptura adhuc hodie est loquens, & Prophetæ loquuntur per Scripturas. Hæc observatio conducit ad illustrandum locum Pet. I. 21. Solent nonnulli malitiose cavilari, illud λαλεῖν non de Scriptura, sed deviva voce esse intelligendum; Verum dicuntur λαλεῖν S. Viri, quando scribunt. conf. I. Cor. II. 6. 7. 13. ubi scribit, & tamen dicit, se loqui. In Actis hoc frequens est, cap. II. 31. 34. XV. 21.

IV.

*Scrip*tura* unica fidei morumque norma est.*

Ita

**A**ct. XVII. 2. de Paulo dicitur, quod *dissuerit, sive disputaverit è Scriptura, tanquam*



quam genuino principio. Argum: Quæ est unica regula omnium disputationum Paulinorum, illa absolute est unica & ordinaria. Atqui Scriptura S. nunquam enim ex aliis disputavit, respectu Articulorum fidei. Ergo. Contra Staplet: in Antidoto.

## V.

*Scriptura S. efficax conversionis medium est.*

## Prob.

## I.

Ex Act. II. 37. *Audientes vero compuncti sunt corde.* Efficit duplēcēm compunctionem verbum div. Una est per se verbo divino attributa, quam sequitur conversio; altera est ex resultantia duri pectoris, de qua Act. VII. 54. confer 2. Cor. VII. 10. quæ dicta mutuo sese explicant. Est quasi prima aperitio oculorum ista κατάνυξις, Act. XXVI. 18. instar noctambulantum, qui nesciunt, in quo statu sint, donec oculos aperiant.

2. Ex Act. XX. 32. *Commendo vos DEO, et verbo gratiae Ejus, quod potest vos superaedificare &c.* Quid sit λόγος Ἰησοῦς χάριτος, solet disputeri inter Interpretes. Nos simplicius existimamus, si intelligamus Evangelium, v. 24. Quod autem illos Evangelio commendet, & non contra, fit, quia est medium gratiae, ut per illud adeo Deus efficax sit. τῷ δυναμένῳ, contra Bezam, ad λόγον referendum, conf. 2. Tim. III. 15. Rom. I. 16.

## Ec 2

## VI.



VI.

*Lectio Scripturæ S. & Laicis omnino concedenda est.*

Prob.

**E**x Act. XVII. 11. ubi de Berrœensibus,  
quod Scripturas quotidie scrutati. Excipit *Suppleton*, esse hic sermonem tantum de generosioribus, sive primoribus, in Antid. p. 478. Resp. non ad genus referendum est h. l. sed ad statum mentis, sive mores, & animi probitatem. Neque enim videtur ad rem pertinere, quod Judæi Berrœenses omnes fuissent nobiliores, quam Thessalonicenses. confer v. 5.

VII.

*Datur & notitia DEI naturalis.*

Prob.

**E**x Act. XVII. 27. Ut querant Dominum, omnino palpent ipsum. Scilicet Apostolus in hoc argumento non semel occupatus, quod Deus per naturalium rerum contemplationem nos velit ducere ad cognitionem sui. Conf. Act. XIV. 17. Rom. I. 20. seqq. in quo ultimo loco verba: Ἀπὸ κίσεως, non explicanda cum Photinianis & Armin. de termino à quo, ursit sensus: Invisibilia à condito mundo cognita fuerunt, per miracula scilicet, quod tamen contra scopum. Quod enim



enim omnes debet inexcusabiles facere,  
illud omnibus debet esse propositum; sed  
~~an~~ notat ibi objectum, Luth. Aus der Schöpf-  
fung. Conf. Matth. VII. 16. 20. ex fructibus,  
tanquam ex objectis.

Jam quod ad nostrum locum attinet, lo-  
quitur hic Apostolus tantum de cognitione  
naturali, non salutifera, ut Joh. V. 39. Unde  
vult insinuare, si Gentiles, uti decet homi-  
nes, indagassent & investigassent, omnino  
deprehensuros istos fuisse suæ idololatriæ va-  
nitatem, unde necessario adigerentur ad  
revelationes quærendas. Necesse enim, ut  
alicubi se revelarit. Ex h. l. evidenter *Socinia-*  
*ni* refutantur. Exstat D. Nic. Hunnii de ista  
cognitione egregius Tract. Examen erro-  
rum Socinn. Talis inquisitio h. l. intell: in  
qua locum habet ΨηλαΦιζειν, palpitando  
qs. contrectare, quod non habet locum in  
investigatione Scripturæ: sæpe μακρὰν est Scri-  
ptura, procul ab homine; sed hoc ζητεῖν ubi  
que homo potest instituere.

### VIII.

Dantur tres Personæ DEItatis.

Ἐκθεσις.

Argumentum nostrum ex Theophania pro  
Trinitate tale est: Qui tribus distinctis  
sensilibus apparuerunt symbolis, illi sunt tres  
distinctæ personæ, &c. Majorem conantur  
infringere Photiniani ex Act. II. 4. ubi dona  
F e 3 mira-



miraculosa apparent sub diversis symbolis, soni, & ignis, & variarum linguarum. Negamus autem, hic immediate intelligi dona; sed ipsam Personam. Si quis regerat, Persona Spiritus S. jam antea erat in Apostolis, resp. Persona implebantur, sed non ad eos effectus, ad quos antea erant impleti. Diversos enim implendi gradus habet.

## IX.

*Spiritus S. vera in DEItate Persona est.*

## Prob.

## I.

**I**ta Act. V. 3. 4. Spiritus S. exsertis verbis *Deu* appellatur. *Übi ψευταδοι* non est, mentiri Spiritum S. sive præ se ferre, ut volum *Socinn:* eonstruitur enim cum Dat: & Accul apud Profanos, & notat objectum persona. Deinde patet ex Synonymo, v. 9. *περγα* Spiritum S. quasi non intelligeret mendacia; Conf. v. 4. & Syrus Interpres. Argum. Cui præter Apostolos & Ecclesiam Israël: tanquam causæ principali, mentitus est Ananias, ille est Deus. Per Spiritum S. donum reale h. l. intelligunt Photinn: sed ei non mentimur. Ergo intell. donum personale, sive persona, & quidem increata, quippe ad quam à creamus dicit Petrus.

2. Ita ex verbis : *Placuit Spiritui S. & nobis,* c. XV. 28. Cui, tanquam causæ principali, cum



cum personis ministerialibus decisio, per modum latæ sententiæ tribuitur, is non minus persona est, quam personæ ministeriales. Atqui Spiritui S. &c. Ergo. Hoc argumentum diligenter ursit contra Photinn: Dn. 'D. Frantzius noster, in Disp. I. ad A. C. th. 131. Sed refutat illum Schmalz. p. 36. sqq. Tota autem Schmalzii disputatio eo recidit, Spiritui S. istud  $\epsilon\delta\sigma\xi\epsilon$  improrie tribui, ut aliis sacerdibus operationes tribuuntur. Sed non debemus faciles esse in ejusmodi figuris constituendis. 1. Urgemus Schmalzium, ut nobis locum monstret, ubi verbum  $\epsilon\delta\sigma\xi\epsilon$  alii, quam personæ, tribuatur. 2. Urgemus etiam, quod Spiritus S. nulla facta mentione alicujus superioris personæ, ministerialibus hic conjungitur causis, ut scilicet Persona summa. 3. Urgemus indicium personalitatis ex verbo  $\epsilon\pi\pi\tau\iota\theta\epsilon\alpha\gamma$ , per modum mandati, consilii, interpretationis, dispositio-  
nis. Instat, illum Spiritum S. intelligi, qui super Apostolos effusus, atque eum esse donum, conf. Act. II. 33. Resp. quod in Spiritu S. quatenus effusus, omnino etiam Persona, sed ratione dispositionis illorum donorum, sit intelligenda. Vid. B. Dorsch. P. II. Theol. Zach. Disp. IX. § 11. Ubiunque dona sunt, ibi præsupponitur Spiritus sanctus.

3. Similiter exc. XX. 2 s. argum: Cui tanquam causæ principali adscribitur vocatio & denominatio Episcoporum, ille est vera & di-



vina persona. Atqvi Spiritui S. Ergo. *Ph.*  
*tiniani* per Spiritum S. intelligunt Apostolos,  
 Spiritu S. illuminatos, per metonymiam ad-  
 juncti pro subiecto. Sed enim vero in Actis  
 Spiritus S. ab ipsis Apostolis distinguitur,  
 c. XV. 28. XIII. 22. conf. I. Cor. XII. Et em-  
 phatica sunt verba, v. 23. 28. τὸ Πνεῦμα τὸ ἀ-  
 γιον, ut emphatice ad causam primam digitus  
 qs. intendatur. Deinde excipiunt, esse pro-  
 sōpopoeiam. Sed Spiritus S. nunquam nobis  
 aliter, nisi personaliter describitur. Ergo hic  
 non habet locum. Vocatur quidem donum  
 Spiritus Sanctus, sed non tollit personalita-  
 tem. Filius etiam donum est.

## X.

*Angeli non sunt adorandi.*

Ἐκ Θεσις.

Pontificii locum Act. XXVII. 23. ad invoca-  
 tionem Angelorum trahunt. Sed ridicu-  
 lum est, subjectum remotius querere, ubi  
 propinquum habeo, quod est Deus. Deinde  
 est contra eorum hypotheses, λατρείαν enim  
 soli DEO tribuunt. Salmeronis est ingenua  
 confessio, quam To. XV. Comm: super N.T.  
 p. 459. habet, neque in Historia Ev: neque in  
 Epp. Paulitraditam esse invocationem san-  
 ctorum; sed demum in Apocalypsi.

XI.

*Deus non vult, aut decernit peccatum.*

Ἐκθεσις.

Ita c. II. 23. disting: inter ἐνδοσὺν & λῆψιν Christi, illa nihil aliud est, quam permis-  
sio, die Ergebung/ quæ in DEO fuit liberrima,  
ita scilicet dedere, uti Abraham Isaacum su-  
um exposuit, & hoc sine ullo peccato fuisset,  
si Sacerdos summus mandatum habuisset de  
immolatione Christi, ut nec Abraham pec-  
casset, immolando filium. Sed placuit DEO  
hæc ἐνδοσύνη. Ergo ad voluntatem DEI per-  
tinet. Λῆψις jam est contra voluntatem DEI,  
est enim per manus impias. Illi sanctissima  
manu expositum impiissima manu acce-  
punt. Ergo Deus non est causa peccati: ille  
non manus improbas ad hoc faciendum  
prædestinavit. Prævidit illas impias manus,  
hæc prævisio determinavit suam ἐνδοσύνην ad  
illud tempus, quæ sanctissima, & ab omni  
peccato libera.

XII.

*Terminus vitæ non est absoluta necessitate  
positus.*

Prob.

Ex Act. XXVII. 31. *Nisi hi manserint in navi,  
vos servari non potestis.* De qua re prolixè  
agit B. Gerhard: To. VIII. § 61. sqq.

E e 5

XIII.

XIII.

*Et in V. T. promissiones Vitæ æternæ  
occurrunt.*

Prob.

**E**x Act. XXVI. 22. contra Photinum: Paulus nihil docuit extra Prophetas, & Mosen. Paulus autem docuit promissiones vitæ æternæ per Mediatorem dandas. Ergo promissiones vitæ æternæ non sunt extra Mosen & Prophetas.

XIV.

*Scriptura ignorat Gratiam DEI IRRESISTIBILEM.*

Prob.

I.

**E**x Act. VII. 51. ubi Stephanus ad Judæos *Vos perpetuo Spiritui S. obnitimini.* Nos duo hic notamus: *a.* Omnino Spiritum S. hic ad convictionem & conversionem contendisse, quod liquet p. ex illa amicabili compellatione, v. 2. p. ex scopo, qui fuit, veritatem divi de JESU Nazareno ipsi Synedrio demonstrare, & illuminare illos: illuminatio enim est finis demonstrationis, p. ex ipsa phras: *vos semper resistitis.* Illi enim proprie non resisto, qui intentione sua mihi non insistit. *b.* Quod hæc propria sit resistentia, liquet ex ipso verbo Græco. *Contra Remonstrantibus distin-*

distinguunt inter resistantiam, Spiritui S. & Verbo factam, illi in se resisti non posse. Diluunt hanc distinctionem Remonstrantes in Actis suis P. III. p. 70. seqq. Sed Verbo Spiritus resistere, est, ipsi Spiritui S. resistere, nam Spiritui S. ratione personæ non potest resisti, sed ratione intentionis, quæ exposita in Verbo.

2 Ita Act. XI. 18. dicitur *Deus resipiscit am dare gentibus*, quæ datio non est irresistibilis, & intelligitur de oblatione mediorum ad pœnitentiam, & de ipsa voluntate benefica DEI. Conf. Act. XVII. 30. & P. III. Act. Remonstr. p. 176.

3. Ita locum, Act. XVI. 14. *de apertione cor dis Lydiæ*, ad gratiam irresistiblem referunt Calviniani rigorosi, uti Molinæus, in Anatom: Armin: c. 36. § 8. 9. 10. Dicimus nos, illum falli. Nam a. Verbum istud eventuale est, factum est, ut Deus O. M. aperiret cor Lydiæ. Quemadmodum verbum καλεῖ interdum pro actu simpliciter, Matth. XX. 16. interdum pro actu cum eventu coniuncto, ut: Rom. VIII. 30. sumitur; Ita etiam verbum hoc διαβούτειν interdum notat actum divinum, interdum eventum prædicationis. Sic Act. XVII. 3. διαβούτων, scilicet ex Scripturarum fontibus, & tamen effectus apud omnes secutus non est; itaque apud Paulum fuit intentio διαβούτεις, licet non ubique even-  
tus secutus sit. Sic Luc. XXIV. 32. 45. even-  
tum

Cum notat, conf. Act. XXVI. 18. Διάβολος  
 h. l. non particularem & irresistibilem DEI  
 intentionem notat, quasi tantum Lydiam  
 voluerit convertere, ceteros praesentes non  
 item. Illa apertio non est per vim irresistibili-  
 lem; sed per potentiam verbi praedicati, di-  
 citur enim de Apostolo ἀλεια, per quam cor  
 apertum fuit Lydiæ. Conf. Corvinus in Censu-  
 ra Anatomiæ Armin: Molinæi, p. 595. Pau-  
 cis: Dicitur Deus aperuisse Lydiæ cor, non  
 per appositionem gratiæ efficacis, sed per gra-  
 tiæ sufficientem, ordinariam, per verbum  
 dispensatam, cuius effectus non fuit interci-  
 sus malitiosa repugnantia. b. Non probatur  
 ex hoc versiculo, quod tantum Lydia con-  
 versa fuerit tum temporis, licet sigillatum  
 ejus mentio fiat, non propter singularem  
 conversionem, sed propter conversionis  
 consequentiam, v. 15. 16. quod Paulum de-  
 duxerit secum in domum suam, &c. Et trans-  
 itum vult Lucas sibi facere ad ancillam illam  
 pythonissam. c. Præterea Lydia jam fuit  
 conversa, tanquam σεβουμένη, & de Messia  
 illuminata. Ergo fuit cor apertum, lumen  
 lumini addendo, & fidem de Messia ad JE-  
 sum Nazarenum applicando. d. Omnino  
 certum est, quod Paulus voluerit omnium  
 cor aperire, ex officio suo. Ergo quoque  
 officium Pauli se se extendit, eousque  
 etiam DEI voluntas.

4. Ita



4. Ita Act. XXIV. 25. observandus in Felice  
ille tactus interior, verbi prædicati, sed per  
malitiosam repugnantiam impeditus. Cal-  
viniani distinguunt inter gratiam interiorem  
efficacem, & exteriorem, inefficacem in  
mediis. Nos habemus hic exteriorem & in-  
teriorem, quæ nobis una est gratia, & ap-  
paret, posse homines resistere etiam intrin-  
secæ gratiæ divinæ.

## XV.

*Absolutum Prædestinationis Decretum cerebri  
humani figmentum est.*

Prob.

### I.

**Q**: Deus non est προσωπολήπτης, Act. X. 34.  
Dicitur autem respectu negotii salutis  
ἀπροσωπόληπτός, in quo nemo divina volun-  
tate est exclusus. Hæc enim est intentio Pe-  
tri. Evertitur ita absolutum decretum,  
quod in effectu nihil aliud est, quam προσω-  
ποληψία.

2. Deus certam in opere salutis τάξιν con-  
stituit, Act. XIII. 48. Absolutum Decretum  
existis verbis non potest inferri. Nam i. se-  
queretur, quod Paulus jussu DEI mandave-  
rit reprobis, ut crederent, Evangelium &  
vitam aet. ad se pertinere. Atqui hoc absur-  
dissimum est. Perinde est, ac si Deus ali-  
cui mandasset, ut credat, se esse hominem,  
quem

vor  
DEI  
diam  
s non  
stibi  
, di-  
n cor  
ensu-  
Pau-  
non  
gra-  
rbum  
terci-  
oatur  
con-  
latim  
arem  
ionis  
n de-  
rans-  
llam  
fuit  
essia  
men  
d JE-  
nino  
nium  
ous-  
sque  
Ita



quem tamen creavitas inum. 2. Si absolute electi tantum credunt, cœteri, quia absolute reprobi, credere non possunt, tum sequitur, reprobos fuisse reprehensos, quod conformaverint se voluntati divinæ. 3. D. Menzerus solet invertere argumentum: Si Electi sunt τελαγμένοι ad regnum cœlorum. Ergo non sunt absolute electi, sed sub τάξει mediorum salutis. 4. Non opus est, ut ad Electionem referamus hoc dictum. Verbum τάξις ex Scripturis est considerandum, quod nullibi de æterna aliqua Electione sumitur, conf. Luc. VII. 8. Rom. XIII. 1. 2. I Cor. XV. 27. 28. ubi subjectionem & subordinationem notat. τάξις perpetuo ordinem constitutum infert, Luc. I. 8. I Cor. XIV. 40. & in primis elegans usurpatio, Col. II. 5. ad nostrum institutum pertinens. Adde Hebr. V. 6. c. VI. & VII. aliquoties. Interdum etiam significat proponere, disponere apud se, ut: Act. XV. 2. ἐτάξαν αὐθαίρειαν, jam Paulus & Barnabas erant τελαγμένοι, h. e. sanctæ dispositioni Ecclesiæ non erant resistentes. Conf. c. XXII. 10. XXVIII. 23. I Cor. XVI. 15. Notat igitur hoc vocab: illos, qui sunt in & sub ordine divino, quando de Deo sermo est. 5. Illi igitur describuntur ab opposito, h. l. v. 46. qui sunt αἰλαγτοι, jam autem hi non sunt ab æterno reprobati; sed ordinem divinitus oblatum respuentes. Ergo qui non rejiciunt, ex opposito recte sunt τελαγμέ-



*ταῦτα μένοι.* Describuntur etiam aliis Epithetis & vocabulis. Nam v. 43. dicitur, quod fuerint σεβόμενοι, profelyti. Hic est exemplum τάξεως, quomodo se in ordinem constituerint, audierunt verbum, v. 42. 6. Aliis ex locis liquet, qui sint τελαγμένοι, Joh. VI. 45. Illa τάξις proponitur: ille est τελαγμένος, qui ī̄ḡt̄. Et Luc. IX. 62. εὐθεῖς & τελαγμένος sunt Synonyma: illud vero non notat abso- lutm decretum; sed ordinem divinum, cui quis in tempore subjiciendus. Jam autem illi τελαγμένοι non sunt à le τελαγμένοι, sed ab ipsis instrumentis τάξεως divinæ, quæ sunt Verbum & Sacramenta, Rom. I. 16. Qui plura vult hac de re, potest videre ipsos Re monstr. P. II. p. 61. Act. Synod. & D. Franz. de Interpret. Script. p. 126. D. Feurb. To. VII. p. 360. Dispp. Giessens.

3. Ex Act. XVII. 27. 30. ita argument. Quos Deus omnibus temporibus voluit se quærere & invenire, eos nullo absoluto de creto intra tempora ignorantiae conclusit. Atqui omnes gentes. Ergo. Major patet ex eo, quia alias ista voluntas esset elusoria, velle, aliquem se quærere, & tamen per ab sol: decretum exclusisse. Alterum argum. hoc est: Ad quæ Deus ἐπολλῆ μακροθυμίᾳ connivet, ad ea neminem absoluto decreto prædeterminat. Iam vero ad tempora ignorantiae. E. Quorum respectu Deus est ναεργάδων, eorum respectu non est absolu te



te προοείχων. Nam conniventia secundum communem sensum potius est nolentis, quam absolute volentis. E. per tempora ignorantiae intell. potius tempora patientiae div. quam prædeterminationis, & ad permissionem referimus. conf. c. XIV. 16. Quomodo pervenerint in ignorantiam istam, Paulus ipse declarat, Rom. I. 19. 20. 21. estq; ignorantia voluntaria & malitiosa attracta, & suo modo punita fuit: quorum autem Deus est ultius, eorum non est autor, inquit Fulgentius. χρόνοι τῆς ἀγνοίας comparate dicuntur, Fuerunt enim subinde & tum aliqui ex Gentibus ad Ecclesiam deducti. Pertinet huc Rom. XI. πλήρωμα Εθνῶν, quod non fuit in V. T.

## XVI.

*Unctio in Christo donorum infinitorum secundum H. N. communicationem infert.*

### Prob.

**E**x Act. X. 38. ubi πνεῦμα & δύναμις non sunt duo distincta, sed δύναμις adjectivi vice posatum, sive ut Epitheton. Sedes hujus χριστεως est in Ps. CX. & repetitur Hebr. VII. 17. Explicatur hic modus unctionis, quod ἐκ ἐκ μέτρων, Col. I. 19. πᾶν πλήρωμα dicitur, Col. II. 9. Respicit haec phraseologia ad formam unctionis in V. T. ubi cornu non plene effundebatur, sed pars. Christus vero accepit αἷλον αἷλως. Christiani unguntur Spiritu



ndum  
entis,  
gno-  
div.  
issio-  
nodo  
aulus  
gno-  
& suo  
DEus  
nquit  
icun-  
ii ex  
tinet  
a fuit  
ecun-  
  
non  
ecti-  
edes  
Lebr.  
quod  
titur,  
for-  
ple-  
vero  
Spi-  
ritu

ritu S. sed ὅλω καὶ μέτροι. Materialiter loquendo & in nobis habitat πᾶν πλήρωμα, sed non formaliter, quod pertinet ad immensitatem donationis.

## XVII.

Distinguendum vero inter idiomatum communicationem quoad possessionem, & plenariam usurpationem.

Ἐκθετις.

Ita Act. II. 36. post resurrectionem de JESU dicitur, quod DEUS ipsum fecerit Dominum. In incarnatione ipsa, Luc. II. 11. ποιησις hæc apparet, & radix in ea quaerenda, Luc. I. 43. ubi in utero jam Κυριον vocat JESUM unctus enim in ipsa incarnatione & Rex, & Dominus. Sed h. l. respicitur ad actum maxime solennem, non ad radicem denominacionis, sed ad actualem introductionem in regnum, & in sempiternum sacerdotium, quæ per ὑψωσιν τὴν δεξιὰν facta est.

## XVIII.

*Christus est Mediator noster secundum utramque Naturam.*

Prob.

Ex Act. III. 15. *Autor vitae est nomen officii, ad mediatorum pertinens, & Christo tribuitur secundum utramque Naturam. Hebr. V. 9. αὐτὸς dicitur, & c. XII. 2. est nomen,*

Ff

quod



quod necessario Deitatem includit. Qui omnimodo & absolute Autor vitae est, iste est summus Deus. Natura humana denotatur in verbo ἀποκτείνειν. Secundum H. N. Christus quoque est Autor vitae, Ergo secundum illam habet infinitam Majestatem.

### XIX.

*Redemptio Christi est vera, proprieq; dicta.*

Prob.

I.

**E**x Act. IV. 12. *Non est in alio s. Nota, omnis modus, quo Christus apud Socinianos Redemptor constituitur, potest etiam esse in ἄλλῳ, & est re ipsa in ἄλλῳ, Ergo est insufficiens.* Dicunt, 1. modum esse prædicacionis, quæ autem est in ἄλλῳ. 2. exempli modum, qui etiam fuit in ἄλλοις. 3. modus, quod ipse det nobis salutem, quam & Pater, & Spiritus S. dat, qui sunt ἄλλοι, respectu Filii. Præter satisfactionem & meritum autem nullus aliis datur modus, quia omnis aliis potest esse in ἄλλῳ.

2. Ex Act. XX. 28. qui locus pro redemptione proprie dicta militat. Facta enim dicitur pretio, pretiosissimo sanguine Christi, & quidem in oppositione ad alia pretia, 1. Pet. I. 18. Deinde ἀντιλαύρεον dicitur, 1. Tim. II. 6. confer. 1. Cor. VI. 20. VII. 23. Et nervus Apostolicæ conclusionis hoc infert: Id dili-

gen-



Qui  
is est  
atur  
Chri-  
dum  
  
gentissime custodiendum est, quod tam incomparabili pretio acquisitum. Atqui Ecclesia. Ergo.

XX.

*Christus apud Patrem pro nobis intercedit.*

Prob.

Ex verbo εμφανίζειν, Act. XXIV. 1. XXV.  
2. 15. coll. Hebr. IX. 24. Estque verbum judiciale, ubi partes citatæ sistunt se. Itaq; cum nos ad tribunal DEI accedere, & nos sistere vix audeamus, Christus est, qui εμφανίζει coram DEO; uti alias durch Vollmächtige Gewalt zugeschehen pflegt. Hinc Christus dicitur παράκλητος, 1. Joh. II. 2.

XXI.

*Christus redivivus vere ad inferos descendit.*

Prob.

Ex Act. II. 27. Non derelinques, &c., Sunt, qui negant, locum hunc de descensu ad inferos intelligendum, & quidem ex Calvinianis, qui putant, ψυχὴν pro corpore positam esse. Sed hoc habeo ex sacris, quod anima pro toto homine sumatur, non pro corpore separato. Intelligendum igitur tale aliquid per ἀδην, ubi etiam anima fuit. Manemus ergo in sententia, Christum hæc protulisse, ut triumphatorem: sunt verba confidentis, non deprecantis, per modum Victoris, venientis ad infernum.

Ff 2

XXII.



## XXII.

*Christus homo, ad dextram DEI sedens, non inclusus cœlo, sed ubique præsens est.*

Prob.

I.

**E**x Act. III. 21. ubi dicitur ἐρανὸν δέξασθαι  
& nihil aliud intell: quam regnare, conf.  
1. Cor. XV. 25. ubi fere eadem verba, sive  
idem scopus. Est successiva positio ad pedes,  
sic & ἀποναλάσσεταις. Vid. de h. l. Dissertt. con-  
tra Zwinger: p. 158. 162. 221. Ergo non con-  
cluditur cœlo, sed dominatur Christus. Et  
scopus Apostoli hoc vult. Nam talis suscepitio  
cœlorum h. l. intelligenda est, ex qua fuit  
repræsentatio omnium, quæ per Prophetas  
prædicta sunt. Talis autem non est incli-  
sio in cœlis; sed potius dominium cœlestis.  
Si Christum submoveamus à præsentia di-  
secundum H. N. tum non fluit ab ipso sec.  
H. N. ἀποναλάσσεταις,

**2.** Ex Act: VII. 55. Quæritur hic, an visio  
fuerit ocularis, an vero mentalis? Nobis o-  
mnino videtur, Stephanum vidisse etiam  
oculis corporalibus cœlum apertum. Gloria  
DEI fuit etiam visa Prophetis oculis corpo-  
ralibus, Ezech. I. &c. *Gloria* hæc non sepa-  
ratum aliquid à gloria JESU; sed in illa ipsa  
gloria JESUS visus. Dicitur autem *stans à Dex-  
tris DEI*, quod non ad situm referendum:  
nam dextra est potentia & majestas DEI  
& potest ipsam δόξαν notare. Errant non-  
nulli

XXX



nulli, quando dicunt, in ipso cœlo vidisse: pertinet enim ad quando, dum vedit in cœlum intentis oculis, vedit DEI gloriam & JESUM. Sic Johannes Matth. III. Spiritum S. non in cœlo, sed in aëre vedit. Actus prioris h. l. terminus est cœlum, actus posterioris gloria DEI, non tamen necessario in cœlo, quippe quæ est omnipræsens. Esa. VI. 3. Vedit igitur JESUM in Dextris non absentem, sed præsentem. Vedit autem Stephanus cœlos apertos, quod usitatum est in Theophaniis, Matth. III. 26. *αὐτῷ*, scilicet JESU, i. e. ad dignitatem Ejus ostendendam. Sic & h. l. non ideo, quod necesse sit, aperire cœlum ad ostendam gloriam, sed quia usitatum in magnis visionibus.

3. Ex c. IX. 17. IESUS, qui visus *ἐν τῇ ὁδῷ*, non absens in cœlis, sed præsens visus. Visio hæc fuit corporalis, non mentalis, conf. v. 27. Act. XXII. 14. Qualis auditio, talis & visio. Atqui ex ore audivit realiter Ergo & realiter vidit. Et, quod reliqui Apostoli sibi pro gloria adscribunt, id ipsum sibi imputat. Neque vero Christus dextram sive cœlos deseruit, Ebr. X. 12. Si autem non deseruit dextram, fuit in 2. locis simul. Cadit igitur argumentum Calvinianorum: Christus secundum H. N. sedet ad Dextram DEI in cœlis. Ergo non potest esse præsens in terra.

### XXIII.

*Vocatio non est alia extrinseca, alia intrinseca.*

Prob.

**E**x Act. XIII. 46. Apparet h. I. Verbum DEI & in eo regnum cœlorum ab Apostolo fuisse oblatum animo & intentione communicandi, non vero tantum extrinsecus. Contra Calvinianos. Nam. 1. Eo modo ipsis Judæi fuit communicatus  $\lambda\circ\gamma\circ\varsigma\ \vartheta\epsilon\varsigma$ , quo gentibus. 2. Quibus verbum DEI animo communicandi non est oblatum, illi propter ejus repulsa non sunt reprehendendi, nec illud repellere dici possunt. 3. Quorum judicium circa Verbum div. repulsum, est oppositum judicio divino, illis juxta judicium div. verbum DEI animo communicandi fuit oblatum. Minor apparet, quia Judæi propter suum judicium reprehenduntur, quod se indignos vita æterna judicaverint. Ergo debuissent se vita æterna dignatos judicare, juxta voluntatem DEI antecedentem.

### XXIV.

*Vocatio DEI universalis est, ad omnes homines spectans.*

Prob.

I.

**E**x Act. XIV. 16. 17. *In præterlapsis etatibus gentes sivit ire vias suas, &c.* Evidem Calvi-

niani hic aliquid se habere putant. Sed v. 16.  
 nihil aliud docet, quam DEum in præteritis  
 temporibus gentes reliquisse sine ordinaria  
 missione, sicut Judæis verbum salutis ipsa  
 obviatione prædicavit. Subtraxit gentibus,  
 quod in majoribus suis habuerunt, ordina-  
 rium ministerium. Constatamen v. 17. seqq.  
*Molinæus* cap. 1. *Anatom.* Armin. §. 3.  
 contra hoc dictum insurgit, & putat,  
 illud *μαρτυρίου* non esse gratiam sufficien-  
 tem. Sed recte respondit *Corvinus*, imme-  
 diate ex istis verbis non probari gratiam  
 sufficientem, & ita ratiocinatur: Si Deus  
 reliquit gentibus aliquod testimonium suæ  
 bonitatis, & si in media desertione illis ta-  
 men benefecit, Ergo significavit DEus, se  
 illos, non obstante illa desertione, tamen ad  
 gratiam vocare. p. 633. Vid. ib. plura. Est A-  
 phorismus, saepius insinuatus nobis in S.  
 Scripturis: *Quibus hominibus DEus dat su-*  
 am in hac vita bonitatem cum regno po-  
 tentiæ; illos etiam admittere vult ad suam  
 bonitatem in regno gratiæ. Sunt enim qua-  
 si symbola & pignora quædam creaturæ gra-  
 tiæ divinæ. Atque ita in v. 17. est limitatio  
 versus 16. & h. m. vult argumentari: *Qui*  
 multis testimentiis suam benignitatem gen-  
 tibus probavit, ille non plane gratiam su-  
 am denegavit. Naturalia hæc beneficia, v. 17.  
 sunt exempla invitantia ad supernaturalia,  
 non termini illius *ἀγάθοποιήσεως*.

2. Ita Act. XVI. 6. non sequitur: Noluit tum Spiritus S. Ergo nunquam, & simpliciter noluit. Et præcluso etiam uno modo, non tamen statim præcluderetur alter. Ergo distinguenda vocatio à modo vocationis, circa quem non est uniformitas. Pertinet iste ad ordinem prædicationis Ev. Erat magnum spatum orbis terrarum, hinc ad non nullos tardius, ad alios citius debuerunt accedere Apostoli. Aut igitur DEus scivit, plus fructus spiritualis Paulum collecturum in Asia &c. quam in Macedonia; aut secus eventurum. Jam constat ratio ordinis divini. Sic refutari possunt *Calviniani*.

3. Ita Act. XVII. 30. *DEus præcipit hominibus omnibus ubique resipiscere.* Πανταχοῦ magno studio additum est. In Adamo, & post diluvium in familia Noæ omnibus quidem annuntiatum μελανοεῖν; Sed nunquam πανταχοῦ, quod tantum in N. T. factum est, per πόρουσιν & obviationem, ubi DEus quasi obvius factus gentibus. Antea quidem vera Ecclesia semper illis erat aperta. Est documentum voluntatis div. gratiosæ universalis: nec tantum est voluntas signi, sed & beneplaciti, quod patet ex collatione versus 31. Nam propter cuius voluntatis contemtum extremum judicium institutum est, illa voluntas serio & ex beneplacito istud intendit, in quo respuitur. Jam autem propter resipiscendi voluntatem. Ergo v. 30. est antecedens vo-

Jun.



luntas, v. 31. consequens. Deinde docetur consequenter non tantum voluntas gratiofa, sed & media, e. g. meritum Christi, Verbum, Sacra menta esse universalia. Nam qualis voluntas, talia sunt voluntati subordinata media. Tertio docet naturam gratiae dispensatæ, quod non sit irresistibilis & absolute efficax; sed in certa ταξι.

4. Ibidem v. 31. πίστιν παραχών πᾶσιν i. e. den Glauben anbieten. Calviniani plerique τινις παρέχειν dicunt esse, demonstrare, probare, documentum dare, ut sensus sit: Quod Deus ejus rei, de qua antea dictum est, quod nempe per Christum judicaturus orbem sit, argumentum & documentum dederit, per resurrectionem Christi ex mortuis, dessen Zeugniß Er gegeben. Piscator: hat solches Gedermann dargethan. Et tamen in scholiis fatetur, Græca ita recte verti: hat Glauben dargebothen allen Menschen. Non debemus faciles esse in dimittenda versione Lutheri. Nos putamus, per fidem non ipsum habitum fidei intelligi, sed fidei facultatis & virium credendi oblationem. D. Feurborn: prolix tractat in Tr. de Pecc: in Spir. S. ubi copiosissimus est, p. 169-179. est in primis in eo, esse, τινις παρέχειν, fidem præbere. Ante XIX. annos scripsit ad D. Dorscheum D. Feurbornius. Respondit ei D. Dorscheus, i. ex opposito: Ea παροχή τῆς πίστεως intelligitur, quæ est opposita χρόνοις τῆς ἀγνοίας,



v. 30. 1. est illuminativa præbitio & collativa fidei. 2. ex integro. Talis intell: παροχὴ πίστεως, quæ respondet suo integro, nempe poenitentiæ annuntiationi. Habemus hoc frequentissimum in S. Scriptura, ut conjungantur poenitentia & fides, Marc. I. 15. 3. Ex sensu perpetuo verbi παρέχειν, quod semper in N. T. notat alicujus rei collationem, nunquam reperietur is sensus, ut notet, demonstrare, ostendere. Igitur non est fidem facere, sed conferre, præbere, exhibere. 4. Ex phrasí æquipollente, 1. Tim. I. 4. Luc. XVII. 5. Act. XIV. 27. aditum conferre ad fidem, per illuminationem scilicet, & hoc sensu dicitur fides ἐγχειται, Gal. III. 25. Sic Rom. XII. 3. confer Ephes. IV. Hæc Synonyma igitur facile ostendunt quid sit, παρέχειν πίστιν, scilicet fidem virtualliter offerre, Rom. I. medium fidei præbere. Syrus & Vulgatus noster quoque est. Itaque illud ανασήσας εἰς νεκρῶν, non est medium παροχῆς πίστεως, sed tempus, quando scilicet omnibus fidem præbere & communicare DEus voluerit; nempe post resurrectionem Christi. Rechte itaque Lutherus: Nachdem / non, indem.

## XXV.

*Conversio non est nostrarum virium.*

Prob.

Ex Act. XXVI. 18. Descriptio potest fieri ex h. l. conversionis. Habetur terminus à quo



à quo, & ad quem. Contra Photinianos not: ex h. l. conversionem non fieri tantum per propositionem objecti ; sed etiam per virium collationem , quia hic ipsorum etiam oculorum ad videnda spiritualia præparatio indicatur.

## XXVI.

*Penitenti singulorum peccatorum enumeratio  
non est necessaria.*

"Εκθεσις.

Pontificii quidem locum Act. XIX. 18. de speciali peccatorum enumeratione accipiunt; sed rectius cum Lutheru, & Gerhardo To. III. de Pœnit. § 114. explicatur de operibus Ecclesiæ illustribus & miraculosis , & statuitur talis εξομολόγησις , qualis est Matth. XI. 25. coll. Luc. X. 17. 21. ubi est εξομολόγησις laudis. Hanc sententiam h. l. obtinere, 1) permittunt omnia verba. 2) Permittit subiectum πεωιτευκολεις , 3) nomen, τὰς πράξις αὐτῶν : nam πρᾶξις est vocabulum generale, potest in primis usurpari de operibus illustribus , ad Ecclesiæ ædificationem pertinentibus. Sic πρᾶξις τῶν Ἀποστόλων , conf. v. 12. 4) Et conseqq. hoc requirunt. Nam manifeste distinguuntur actiones v. 18. & actiones v. 19. Nullibi vero in tota S. Scriptura vocab. πρᾶξις , absolute possum, de peccato sumitur, conf. Matth. III. 6. Imo quando hæc duo verba conjunguntur , εξομολογ.



μολογ. & ἀναγγεῖλειν, nunquam de confessio-  
ne pecc. sermo est. Das ist ein Kappchen dem  
Bellarmino.

## XXVII.

*Ex lege non est Justificatio.*

Ἐκ θεσις.

### § I.

Probatur assertio nostra ex Act. c. XV.  
Pontificii existimant, tantum de circum-  
cisione controversiam fuisse; at simul de  
observatione Legis Moralis actum. In v. 5.  
& 24. habet hæc sententia nostra suum fun-  
damentum. Nam v. 5. fine absolute de le-  
ge Mosis dicitur. Sic v. 24. circumcidisti &  
Legem servare. Alterum fundamentum est  
ex ipsa decisione, in qua referuntur omnia  
ad fidem, v. 9. 11. Jam autem fidei non tan-  
tum Lex cerem, opponitur in S. Scriptura,  
sed etiam Moralis, Rom. I. II. III. Tertium  
fundamentum est ex Gal. V. 3. 4. connexa  
esse, si homo circumcidatur, illum obstrin-  
gi ad observationem legis, ubi quoque op-  
positio dicta habetur. Etiam si igitur hoc  
Capite v. 1. tantum de circumcisione sermo  
sit, tamen vi illius includitur tota Lex. Ex  
opinione Judæorum, ut in facto consistit,  
circumcisionem Paulus describit. Quipræ-  
cepta V. T. ex facto existimat, is tam ad  
unum, quam ad alterum tenetur fer-  
vandum. Atqui vos. Ergo. Alias, qui  
ad



ad circumcisionem, non ad omnia obligabatur præcepta: respicit enim meritum Christi.

§. 2. Sigillatim v. 9. *Fide corda purificari dicuntur: quod quando pro sua justitia infusa adducit Bellarm.* To. IV. de Justif. L. I. c. 17. committit elenchum interpretationis. Fide enim dicuntur corda purificari ὁργανικῶς, tanquam instrumento recipiente ἵλασμὸν & καθαρισμὸν. Corda nostra i Joh. I. Sanguine Christi purificantur, ubi αἷμα non ὡτιωδῶς, sed ἵλαστρον, sacrificialiter, in actu scilicet effusionis, consideratur, Hebr. IX. 14. unde i Joh. II. 2. Christus dicitur ἵλασμός, & ipse sanguis Christi dicitur ἐν ράντισμῷ i Pet. I. 2. consideratus, Hebr. XII. 24. Ergo Petrus fidem non intelligit in se, sed in apprehensionis actu, quatenus apprehendit illum ἵλασμὸν, ράντισμὸν.

§ 3. Ita v. 10. quæritur, quid per ζυγὸν ἀβασάντον intell: an tantum difficultas notetur, an vero etiam impossibilitas? Pontificii volunt jugum δυσβάσαντον, quia Deus impossibilia simpliciter non solet imponere, tum quia sint exempla eorum, qui poterant βασάσcos, Luc. I. 6. Act. XIII. 22. Matth. XXIII.

4. Ut incipiamus à postremo, & illud dicitur δυσβάσαντον, quod nullo modo potest portari. Deinde non sunt eadem, quæ dicuntur h. l. & Matth. XXIII. Nam hic sermo est de Legе Mos: ibi etiam de traditionibus innumeris Pharisaorum. De exemplis jam fere responsum



sum est. Vid. D. Dörsch. ad Luc. I. Illa  $\alpha\muεν$ .  
 ψα coram hominibus valuit, non coram  
 DEO. David fuit vir secundum cor Domini,  
 exceptis humanis imbecillitatibus, & respe-  
 ctu  $\alpha\nu\pi\omega\rho\tau\epsilon\omega\varsigma$ . Ad primum quod attinet  
 falsum est. Nam hodierna DEI requisitio  
 non demum incipit, sed fundata fuit in crea-  
 tionis jure. Aliud est, postulare impossibili-  
 lia absolute, & aliud, postulare impossibilis  
 ex culpa nostra. Illam distinctionem vide-  
 tur Apostolus Rom. VIII. 3. inferre: Lex  
 DEI est possibilis natura sua; sed fit impossi-  
 bilis &c. Egregius est locus Bernhardi, Serm.  
 50. super Canticum.

## XXVIII.

*Non salvat fides aliena.*

Ἐκθεσις.

**I**ta, quia dicitur Act. XVI. 31. *Crede in Domi-  
 num JEsum, et salvaberis tu, et domus tua;*  
 hinc nonnulli putant, posse homines salvari  
 per fidem alienam. Sed non opus, ut ad  
 Sophisticam hanc allusionem descendamus.  
 Versu enim 32. explicatur, quod locuti sint  
 sermonem omnibus.

## XXIX.

*Pædobaptismus est necessarius.*

Prob.

I.

**E**x Act. XVI. 33. ubi habemus exemplum  
 Patris familias, baptizati cum tota fami-  
 lia,



lia, quod exemplum validius est, quam Lydiæ.

2. Ex Act. XXVI. 18. Quicunque sunt sub potestate satanæ, pro illis, ex ista potestate satanæ liberandis, Deus non intermitit ordinare medium, quod nullum aliud est, quam Baptismus. De infantibus hic etiam sermo est, quia non habent apertos ad spiritualia oculos, sed sunt in tenebris. Ergo etiam sub potestate satanæ, quæ duo conjunguntur.

### XXX.

*Propositiones Sacramentales sunt complexivæ.*

Prob.

#### I.

Ex Act. II. 33. ubi τὸν est complexivum : Complectitur scilicet Spirit. S. ratione signorum & donorum, quibus usus fuit. Ut vere possum dicere : Hoc, quod effudit Christus, est Spiritus S. & tamen videtur ignis, auditur sonus ; ita recte : Hoc, quod dispensatur in S. Coena, est corpus, est sanguis Christi, quanquam videamus panem & vinum.

2. Similiter c. XI. 15. dicitur πλῶσις τῷ Πνεύματι, cum proprie pertineat ad symbolum, & est modus loquendi sacramentalis. D. Dorsch. in Consider: contra Zwinger. multa egit hac de re. Sic Johannes vidit co-  
lum.



Iumbam, quæ fuit Spir. S. Moses rubum vi-  
dit, & Angelus Domini erat.

## Sectio VI.

Enthymemata, ex Libris APO.  
STOLICIS de promta, sistens.

### I.

*Apostoli specialibus suis indiciis & characteri-  
bus a cœteris DEI Viris distinguuntur.*

#### I.

**Q**uia palmarium Apostolorum obje-  
ctum erat, Christum prædicare præ-  
sentem, & pro nobis in mortem  
traditum. 1 Cor. I. quo ipso discernebantur  
à Prophetis.

2. Quia singularis Apostoli conditio erat,  
ut αὐλόπης rerum à Christo gestarum esset.  
Act. I. 21, 1 Joh. I. 1. s. & sic distinguebantur  
ab Evangelista; qui non semper fuit αὐλόπης,  
ceu de Luca & Marco constat.

3. Quia Apostolus immediate à DEO vo-  
catus erat, Gal. I. 1. & sic distinguebatur à  
Doctoribus & discipulis, quippe qui per ipsos  
Apostolos vocari solebant.

4. Quia Apostoli nulli certo loco alligati  
erant, sed jubebantur proficisci in mundum  
universum, & undique Evangelium an-  
nunciare, Matth. XXIIIX. 19. Marc. XVI.

16.



16. Et per hoc ipsum à *Pastoribus* dignoscabantur, quippe quibus certa quædam Ecclesia committebatur. conf. B. Dannh. in *Hodosoph.* p. 146. edit. recent.

Itaque probe sibi constat discrimin officiorum, ab Apostolo traditum, Eph. IV. 11.

## II.

*Apostoli omnes ratione Ministerii & muneris Ecclesiastici inter se pares sunt.*

### I.

**Q**uia, etsi Petrus, Jacobus & Johannes speciatim assumti à Christo fuerint, & sollemnem ejus transformationem oculis conspexerint, Matth. XVII. 1. 2. tamen hæc prærogativa non officii, sed personarum fuit.

2. Q. par omnium vocatio erat, dum à Christo immediate eligebantur, Matth. X. 1. sqq. Joh. XV. 15.

3. Q. omnibus Spiritum S. sufflando impertitus est Christus, Joh. XX. 22. eoque ad munus sacrum idoneos reddidit.

Usus Elenct. adversus Pontificios, qui vel Petro εξοχὴν, vel Johanni, ut Amyraldus, præreliquis venditant.



III.

*Apostolis in more fuit, secum ducere comitem,  
qui mysteria divinitus revelata ulterius  
interpretaretur.*

I.

*Sic Petro Marcus adhæsit, Act. XII. 12.*

*Sic Paulus modo Silam, Act. XV. 40. mo-  
do Timotheum, 1 Tim. I. 2. modo Titum, 2 Cor.  
VIII. 23. Sibi comitem junxerat. Ratio-  
nem addit Ambrosius, ut Seniores consilio  
prævalerent, juniores ministerio.*

IV.

*Apostolorum Votum commune est: GRATIA  
& PAX.*

*Hæc duo vocabula comprehendunt uni-  
versum Christianismum. Gratia remit-  
tit peccatum, Pax tranquillam reddit con-  
scientiam. Duo diaboli nostri, qui nosex-  
cruciant, sunt, peccatum & conscientia.  
Sed hæc duo monstra Christus vicit. Gra-  
tia continet remissionem peccatorum, pax  
tranquillam & lætam conscientiam. B. Lu-  
therus Comm. ad Galat. To. IV. Jen. Lat. fol.  
xi. b.*

*Ita Apostolorum mos est, præmittere Epi-  
stolis suis pium votum.*



V.

similiter Gratia Domini nostri, Iesu Christi, compendium votorum erat & epiphonema,  
quo omnes fere Epistolas finiebant  
Apostoli.

Vid. Rom. XVI. 20. 1 Cor. XVI. 23. 2 Cor.  
XIII. 13. Gal. VI. 18. Phil. IV. 23. 1.  
Thess. V. 28. 2 Thess. III. 18. ad Philem. v. 25.  
2 Pet. III. 18. Ap. XXII. 21.

Gratia enim à Christo acquisita, uniceque  
actotaliter in eo fundata est. conf. B. D. Neu-  
mann. Disp. de Fundamento Benevolent. DEI uni-  
versi. p. 36.

VI.

Apostolicum est, in Epistolis nec capitum, nec  
sententiarum connexionem solicite  
observare.

I.

Quia de natura styli Epistolici est, res va-  
rias sine ordine, saepe & connexione ad  
amicos referre, id quod Apostoli in scriptis  
suis imitantur.

2. Q. in Epistolis, maxime Joanneis, meri  
Aphorismi occurruunt, id quod profanis æ-  
que ac Ecclesiasticis Scriptoribus usitatum  
quondam fuit.

3. Q. diserte Apostolus inquit: *Loquimur  
non sermonibus, quos docet sapientia humana, sed  
quos Spiritus S. revelat.* 1 Cor. II. 13. (conf. cap.  
L. 27.)

VII.



VII.

*Qua ratione scripta Evangelica ad usum transferenda sint, in Apostolorum literis explicatur.*

**R**em ex planabo verbis B. Chemnitii, qui in fine Prolegom. Harmon. Ev. ita: *Quomodo ex hac materia extruantur articuli fidei, seu dogmata Apostolicæ Ecclesiæ, h.e. quomodo dicta & facta Christi, in Evangelistarum scriptis comprehensa, accommodanda sint ad doctrinam de pœnitentia, de fide, de fructibus pœnitentiæ: & quomodo falsa dogmata inde refutanda sint, ostendunt Epistolæ Apostolicæ.*

VIII.

*Mos est Apostolicus, ut Evangelii doctrinam ex Prophetis diligentissime confirmant.*

**E**st hæc observatio B. Urb. Regini, de Ratio ne fructuose studendi in S. Literis; eamque ex Hilario desumisse videtur, quidicit: *Proprium hoc est doctrinæ Apostolicæ, Deum ex Lege & Prophetis, in Evangeliis prædicare.* Ad Ps. LXV. conf. B. Conr. Kircher. de Uso Concordant. Bibl. Uso III.

IX.

*Apostoli vocibus Græcis aliquando peculiares & novos significatus tribuunt.*

I.

**I**ta σαρξ humanam naturam, Rom. III. 29.  
infir.



infirmatatem humanæ naturæ, c. VI. 19. vitiositatem humanæ naturæ, Gal. V. 29. denotat.

2. Sic πνεῦμα significat hominem fidelem & infidelem, pro conditione prædicati, 1. Joh. IV. 2. 3. Spiritum sanctum, 1 Joh. V. 6. 7. Angelos, Hebr. I. 14. animam, Jac. II. 26. denique Verbum DEI, 1 Joh. V. 8.

3. Sic Christina significat Spiritum S. quod tamen solius Johannis est.

Sane cum argumentum tam sublime sit, mirum non est, in describendis hisce mystériis singulares quoque verborum significatus reperiri. Ut enim singulæ disciplinæ, sic & Sacrae Literæ habent sua vocabula Technica, Theologiæ propria, quæ licet quoad primam & propriam significationem è vulgari & quotidiano Græce loquentium usu sint petita, tamen ratione notionis propriae, & ad mysticum argumentum determinatae, nec possunt, nec debent vel intelligi aliunde, vel explicari.

## X.

*Mos Apostolicus est, quo orare Auditores malunt,  
licet autoritate Apostolica mandare  
possent.*

Ita est Phil. II. 1. scilicet 1 Thess. IV. 1. c. V. 12.  
2 Ep. Joh. v. 5.

Ratio est ad Philem. v. 8. 9.

G. g 3

XI.



XI.

Apostoli sub ipsa revelationum periodo ad verbum scriptum, ceu canonem, suos remittunt.

I.

Ita Paulus: State, inquit, Fratres, & tenete doctrinas, quas didicistis, sive per sermones, sive per Epistolam nostram. 2. Theff. II. 15.

2. Alibi Epistolas suas ut deposita commendat, 1 Tim. VI. 20. 2 Tim. I. 14. alibi postea tradendas jubet. 2 Tim. I. 2.

3. Ita Petrus, postquam vocem, e cœlo allatam, se audivisse docuisset, addit: Multo nos firmiores habere Scripturas Propheticas, recteque facere, qui attendant illis. 2. Pet. I. 21.

4. Sic Johannes ait: Unctionem habetis à Sancto, i. e. cornu copiæ revelationum, & nostis omnia, nec necesse habetis, ut quisquam vobis doceat, 1 Joh. II. 20. 27.

Ergo ulterioribus missis revelationibus, ad verbum Θεοτυπου jam attendere nos oportet. vid. B. D. Neumann, in Disp. de Canonie Script. obsign. §. 32.

XIII.



## XII.

*Apostoli in Exordiis librorum suorum, & in clausulis, præcipue autem in argumentis magni momenti, TRIUM PERSONARUM mentionem quam frequentissimam faciunt.*

## I.

*Ita in Exordio Epistolæ: Secundum prævisionem DEI PATRIS, in sanctificatione SPIRITUS, ad obedientiam & mundationem sanguinis JESU CHRISTI. I. Pet. I. 2.*

2. Ita in fine Epistolæ: *Gratia Domini JESU Christi, & charitas DEI, & communio Spiritus Sancti, sit cum omnibus vobis. 2. Cor. XIII. 13.* Quem quidem locum *Sim: Episcopius* pro validissimo adversus Anti-Trinitarios reputat.

3. Ita Paulus trium Personarum mentionem injicit, agens de *justificatione nostra*, I. Cor. VI. 11. de *salute*, per *Baptismum* obtinenda, Tit. III. 5. 6. de *Adoptione*, Gal. IV. 5. 6. de *fiducia in precibus*, Eph. II. 18.

4. Sic Eph. IV. 5. 6. ubi de servanda à fidibus unitate spirituali. add. c. III. 14.

Nec obstat, non ubique trium mentionem injici. vid. B. Dorsch. p. II. Th. Zach. p. 328. f. sq. conf. I. Cor. VIII. & B. Franck. de Deitate p. 140.

His ostenditur, omnes tres SS. Trinitatis Personas in perficienda salute nostra concurrere.

XIII.

*Apostolicum est, ubi de Patre & Filio simul loquuntur, illi nomen DEI, huic nomen DOMINI tribuere.*

I.

**S**ic Paulus sub initium Epistolarum suarum plerumque dicit: *Gratia vobis à DEO, & Pax à Domino nostro J. C.* Rom. I. 7. 1. Cor. I. 3. 2. Cor. I. 2. Gal. I. 3. 2. Thess. I. 1.

2. Similiter occurrit 1. Cor. VI. 14. 1. Cor. VIII. 6. 2. Cor. XIII. 14. Eph. I. 2. 3. c. IV. 5. 6.

3. Sic Petrus 1. Ep. 13. Sic Jacobus, c. I. 1. Ratio hæc reddi potest: Pater frequentius Deus dicitur, ob principatum originis, Filius autem Dominus, propter officium, & redemptionis beneficium, quo nos ex captivitate satanæ in libertatem asseruit.

Tantum igitur abest, ut inferioritatem Christi hinc elicias, ut potius ἔχοντα cum Patre in Majestate & Perfectione summæ divinæ essentiæ illi eadem tribuatur, docente B. Dorscheg, Pentadec. pag. 493. Et Regula Theologica est, quæ ex inductione Scripturæ robatur: Ubicunque nomen κυρίος in N. T. proprie adhibetur, in singulari numero, sine conditionibus restringentibus, vel imminentibus, ibi divinum, eminentissimum, absolu-



absolutissimum, omnipotentissimum importat dominium, soli DEO conveniens, nisi circumstantiae contextus aliud innuant. *juxta B. Calov. in Theol. nat. & revel. p. 506. &c in System. Theol. To. III. p. 373.*

Alias B. Lutherus observat, cum DEO Patre conjungi Dominum nostrum J. C. ut abstineamus à speculatione Divinitatis, nemo enim DEum novit, sed ut Christum audiamus. *Comm. ad Gal. p. m. 18. a.*

#### XIV.

*Est hoc proprium Apostolorum munus, Christi gloriam & beneficium illustrare, atque per hoc afflictas conscientias erigere & consolari.*

*E*st hæc Megalandri nostri observatio, quam corroborat ex Articulo de justificatione per meritum Christi; illum enim ideo Apostoli, præcipue Paulus, tam copiose tractaverunt, & tam sæpe inculcarunt. *To. IV. Jen. Lat. f. 94. a.*

#### XV.

*Apostoli non facile beneficiorum Spiritualium in Christo, sine gratiarum actione membrinserunt.*

*A*pparet ex 1. Cor. I. 4. sq. Gal. I. 4. 5. Eph. I. 3. f. Col. I. 12. f. 1. Pet. I. 3. &c. Licet enim in omnibus gratiæ DEO agendæ sint, Ma-  
Gg 5.



maxime tamen pro beneficiis spiritualibus,  
in Christo collatis.

Hinc notat B. *Lutherus*: Apostoli, more  
Hebraeorum, scriptis suis interspergunt gra-  
titudines & Eucharistias: & est mos iste re-  
verentia & cultus quidam DEi. To. IV.  
*Jen. Lat. f. 17. b.*

## XVI.

*Passionem & redemtionem Christi tanquam  
maximum pietatis incentivum ad-  
duxerunt Apostoli.*

### I.

**H**inc vitæ sanctitatem, ceu finem secunda-  
rium redemtionis Christi, urgent, Tit.  
II. 11. 12. 1. Pet. II. 24.

2. Hinc redemtionis proprietatem notat Apo-  
stolus: *Unus pro omnibus mortuus est, ut viventes  
non amplius sibi ipsis vivant, sed ei, qui pro ipsis  
mortuus est & resurrexit.* 2. Cor. V. 15.

3. Hinc lytri, pro nobis præstiti, pretiosita-  
tem in memoriam revocant, *pretio emti estis,*  
1. Cor. VI. 20. *non corruptibili auro & argento,*  
*sed pretioso sanguine Christi.* 1. Pet. I. 18. 19. coll.  
v. 15. ubi hoc argumento ab amore pecca-  
ti deterret.

## XVII.

*Apostoli Adventum Christi ultimum per  
Apparitionem describunt.*



I.

Ita dicitur ἐπιφάνεια τῆς παρεγγίας. 2. Thess. II. 8. τῆς δόξης τὸ θεῖον. Tit. II. 13. τὸ χριστόν. 1. Tim. VI. 14. 2. Tim. IV. 1.  
2. Ita vocant Φανέρωσιν, Col. III. 4. 1. Pet. V. 4. 1. Joh. II. 28. c. III. 2.  
3. Ita appellant απουσίαν Π.ν., 1. Cor. I. 7.  
2. Thess. I. 7. 1. Pet. I. 7. 13. c. IV. 13,

Cave ergo, hinc cum *Calvinianis* colligas, Christum hoc tempore secundum humanam suam Naturam penitus à nobis abesse. Quin potius Christus invisibiliter nobis jam ante præsens, ideo in die extremo visibiliter ad judicium redditurus est, seque omnibus conspiciendum exhibiturus. Act. I. 11. Apoc. I. 7. confer. B. Gerhard. *Harmon. Evang.* cap. CLXV. circa init.

XVIII.

*Non est Apostolus, qui de ADVENTU  
CHRISTI ULTIMO in suis Epistolis  
diserte non scripsit.*

I.

Sic Paulum in omnibus Epistolis suis de adventu Christi ultimo egisse, testatur Petrus, 2. Ep. III. 16. Confer in primis utramque Epistolam ad *Thessalon.* quæ hoc argumentum ex instituto persequitur.

2. Sic Petrus tum alibi, tum 2. Ep. III. 2. 3.  
4. s. in hoc argumento occupatur.

3. Sic



3. Sic *Johannes* I. Ep. II. 28. Apoc. XXII.  
20. de Adventu Christi extremo egregie  
docet.

4. Ita *Jacobus* auditores suos consolatur  
doctrina de adventu Domini, c. V. 7. 8.

5. Et *Judas* Apostolus ex vaticinio *Hendi-*  
*chi* ultimum Christi adventum demonstrat,  
v. 14. 15.

Adeo solide confirmatus est Articulus de  
Christi Adventu ultimo, cum adversus *Em-*  
*pectas*, qui hanc doctrinam derident, tum  
adversus *Fanaticos*, qui regnum mundanum  
præmittunt.

## XIX.

*Apostolicum* est, à Tempore N. T. gratioſo  
argumenta ducere pædevtica.

### I.

**I**ta *Paulus*, Rom. XIII. 11. *Tempus* est, surgen-  
di de somno. I. Cor. VI. 1. 2. *Jam tempus* est ac-  
ceptum &c. & I Thess. V. 4. s. ad excutiendum  
peccatorum somnum adhortatur, hoc argu-  
mento, quia non sint noctis, sed diei liberi.  
conf. Eph. V. 8.

2. Ita *Petrus* suadet suos abstinere à cupidi-  
tatibus carnis, quia non amplius sint Gentil-  
es; sed conversi Christiani. I. Pet. IV. 2. 3.

3. Ita *Johannes* ad charitatem erga prox-  
imum incitat, id ὁμηρίᾳ addens: Tenebra  
præterierunt, & vera lux jam lucet, I. Joh.  
II. 8. Adeo ipsa temporis ratio nos cohor-  
tari

tari debet, ut obedientiæ novæ atque operibus lucis studeamus, abjectis & valere iussis tenebrarum fructibus.

## XX.

*Apostolicum est, noctem & diem, tenebras & lucem saepe inter se opponere.*

**L**oca sunt: Rom. Xlll. 2. Eph. V. 8. 1. Thess. V. 5. 1. Pet. II. 9. 1. Joh. II. 9. &c.

Ubi illud notat tempus Legis, peccatorum, V. T. hoc tempus Evangelii, gratiæ, & N. T. conf. B. Luther. To. II. Altenb. f. 691. b. Atque hæc collatio felicem Christianorum statum eò luculentius, ostendit ac prædicat.

## XXI.

*Apostolicum est, homines irregenitos pro mortuis, regenitos vero pro resuscitatis reputare.*

### I.

**S**ic Eph. II. 1. 5. 6. *Vos existentes mortuos transgressionebus & peccatis, una cum Christo vivificavit, atque cum eo resuscitavit.*

2. Sic Rom. XI. 15. Apostolus conversionem Gentilium diserte appellat *vitam ex mortuis.*

3. Sic I. Pet. IV. 6. *MORTUIS Evangelium prædicatum dicitur, ubi Petrus eleganter à naturali morte, cuius mentionem v. 5. fecerat,*  
ad



ad *Spiritualem* transit. Adeoque frustra locum hunc eo trahunt *Fanatici*, quasi impiis post mortem salutis spes supersit. Vid ex professo B. Itigii Dissert. quæ Enneadi Exercit inserta reperitur.

4. Sic Apoc. XX. 6. resurrectio primavocatur regeneratio. confer Matth. VIII. 22.

Nimirum hæc opponenda Chiliaстis, & qui hac phrasι resurrectionem particularem, ante consummationem seculi futuram, stabilire conantur.

## XXII.

*Apostoli dignitatem VOCATIONIS nostræ, tanquam efficacissimum sancienda pietatis argumentum adducunt.*

### I.

**I**ta hortatur Apostolus Ephesios, ut *digne ambulent vocatione*, *qua vocati sunt, cum omni militate f.* Eph. IV. 1. f.

2. Ita I. Thess. II. 1. 2. Paulus obtestatur suos, *ut ambulent digne DEO, vocante ipsis ad sui ipsius regnum & gloriam.*

3. Ita I. Thess. IV. 7. ad castitatem adhortatur, hoc usus argumento: *Non enim vocavit nos DEUS ad impunitatem, sed ad sanctificationem.*

4. Similiter Petrus ad patientiam in cruce excitat, his verbis: *Si benefacientes & pacientes perseveratis, hoc est gratia coram DEO.* ADHOCE NIM VOCATI ESTIS. I. Pet. II. 20. 21.

5.

5. Et alias in genere hortatur: Secundum  
eum, qui vocavit vos, sanctum, & vos sancti in omni  
conversatione sitis. I. Pet. I. 15. conf. c. II. 9. B.  
Æg. Hnnn. Opp. To. IV. fol. 705. b.

### XXIII.

*In more habent Apostoli, ubi pœnitentiam  
prædicant, diei extremi simul  
mentionem injicere.*

Sic Act. III. 20. c. XVII. 30. c. XXIV. 25. Rom.  
II. 4. 5. 2. Cor. V. 10. 2. Pet. III. 11. 12. Apoc.  
XIV. 7. Idem argumentum jam in V. T. ur-  
get Salomo: Deum time, & præcepta Ejus custo-  
di. Nam omne opus DEus producit in judicium.  
Eccl. XII. 13. 14.

### XXIV.

*Θανάτωσις in N. T. præcipue in Scriptis Aposto-  
licis, semper adscribitur Filio DEI, cum  
de Persona sermo est, nunquam  
autem DEO Patri.*

§. I.

Evincit hoc induc̄tio locorum, Marc. XVI.  
12. 14. Joh. XXI. 1. 14. Col. III. 4. Ebr. IX.  
26. I. Pet. I. 20. V. 4. 1. Joh. I. 2. III. 5. 8.

§. 2. Explicari hinc potest locus, à Socinia-  
nis in controversiam vocatus, quaside DEO  
Patre sermo sit, I. Tim. III. 16. DEus εΦανε-  
ρώθη,



ewīn, apparuit in carne. conf. B. Calov. Bibl.  
Ill. To. II. in N. T. f. 964. a.

XXV.

Frequens haec apud Apostolos Synecdoche<sup>e</sup> est, quia  
integrum aliquem cœtum SANCTUM &  
FIDELEM appellare solent.

§ 1.

Docent hoc omnes inscriptiones & exordia Epistolarum Paulinarum, ubi totum cœtum compellans, nominat dilectos DEI, electos Sanctos, Rom. I. sanctificatos per J. C. ditatos in omnibus, I. Cor. I. Appellat fideles, quos Deus elegerit in Christo ante jacta mundi fundimenta, Eph. I. impletos fructu justitiae. Phil. I.

§. 2. Sic Petrus vocat electos regenitos in spem vivam, I. Pet. I. confer 2. Pet. I. Et Judas v. I. appellat sanctificatos in DEO Patre, & servatos Iesu Christo.

§. 3. Licet enim plurimi in cœtu aliquo sint hypocritæ, qui de doctrina quidem consentiunt, at cor illorum non est rectum coram DEO; tamen merito tituli illi præminati prædicantur de cœtu vocatorum, & ita denominatione à nobiliori ejus parte: cum dubium nullum sit, ubicunque prædicitur verbum DEI pure, esse ibi aliqua viva & vera Ecclesiæ membra.

§. 4. Hinc B. Lutherus, contra cœlestes Prophetas scribens, ait, Scriptura vulgato modo usur-



usurpat Syncdochēn, i. e. nominat aliquid totum, & intelligit ejus tantum aliquam partem, quemadmodum facit, cum populum Israeliticū vocat peculium & peculiarem populum DEI, cum tamen major semper illius pars diaboli, minor vero DEI, fuerit. Et Paulus Galatas, Corinthios aliasque civitates Ecclesiās DEI nominat, cum tamen minima pars constaret ex veris filiis DEI." Conf. B. Ag. Hunn. Opp. To. IV. f. 646. a.

## XXVI.

*Mos est Apostolicus, præmittere Epistolis  
suis pium votum, eodemque simul  
illas obsignare.*

**R**es ex inductione locorum facile constat, Laudabilis igitur consuetudo est, quando Ministri Ecclesiæ ante initium suarum concionum præmittunt votum, quo precantur auditoribus suis gratiam & pacem à D E O nostro, & Domino J. C. Quemadmodum & illud, quod absolutis concionibus subjungunt ex 2. Cor. XIII. 13. vel Phil. IV. 7. Quæ quidem precatio[n]es ex fide suscep[t]æ, irritæ nequaquam sunt, sed iis, quæ optantur, bonis & benedictionibus fœcundæ.

H h

XXVII.



## XXVII.

*Tenenda Regula Theologica: Quando in Scriptis Apostolicis caro & Spiritus in Christo sibi opponuntur, altero Humanam, altero Divinam Ejus Naturam designari.*

Prob.

I.

**S**ic Rom. I. 4. *Qui genitus est ex semine David SECUNDUM CARNEM, demonstratus vero est (ωριθεὶς definitoriis & ultimis conclusionibus definitus) Filius DEI cum potentia, SECUNDUM SPIRITUM SANCTIFICATIONIS.* En. Divinam & Humanam in Christo Naturam, conf. B. Jac. Welleri Annott. in Epist. ad Rom. p. 27,

2. Sic I. Tim. III. 16. *Deus manifestatus est IN CARNE, justificatus IN SPIRITU.* Nimirum Divinitatem Christi impugnabant aliqui, sed explorato errore atque rejecto, justificatus est Christus quoad Divinam Naturam, & lите judicata pro DEO declaratus est. B. D. Neumannus in *Programm. Acad.* p. 46

3. Sic Hebr. IX. 14. *SANGUIS Christi nos sanctificat, qui per SPIRITUM AETERNUM seipsum obtulit immaculatum DEO: ubi per Spiritum aeternum ipsam Christi Divinitatem mode intelligas.* Scopus enim Apostoli est, virtutem sanguinis Christi super virtutem sanguinis brutorum, imo supra virtutem omnium



omnium creaturarum extollere, Conf. B. Seb.  
Schmid. ad h. l.

4. Similiter I. Pet. III. 18. *Christus* dicitur  
*mortificatus CARNE*, i. e. quoad H. N. sed *vivi-*  
*ficatus SPIRITU*: quo ipso non anima deno-  
tatur, hæc enim uti non moritur, ita nec  
vivificatur, I. Cor. XV. 36. sed D. N Christi  
*Spiritus* nomine venit: est enim DEus ipse  
*Spiritus*, Joh. IV. 24. & ex Resurrectione  
quidem Divinitas Christi maxime evincitur,  
Rom. I. 4. 2. Cor. XIII. 4. Vide alias Rom.  
IX. 5. I. Cor. XV. 45. & confer de hac Re-  
gula B. Affelmannum P. I. Syntagm. p. 402. & B.  
Calvium Bibl. Illustr. N. T. To. II. f. 22. b.

5. Neutquam vero ad datam Regulam  
quadrat locus Joh. VI. 63. *SPIRITUS* est vivifi-  
cans, *CARO* non prodest quicquam. Hic enim *caro*  
& *Spiritus* non opponuntur sibi in Persona  
Christi: Blasphemia est, affirmare, quod  
caro Christi nihil profit, hæc enim est ve-  
rus cibus, ib. v. 55. sed per *carnem* intelli-  
gitur corrupta nostra natura, carnales co-  
gitationes, verbo divino sese opposentes,  
conf. Joh. III. 6. Per *Spiritum* vero divina  
sapientia & revelatio, qua cœcus intelle-  
ctus noster illuminatur. Militat igitur lo-  
cus tam contra *Calvinianos*, quam *Socinianus*,  
ductum rationis in divinis mysteriis  
sequentes.

## XXVIII.

*Est hoc solenne Apostolis, ut Christi exemplo  
suos vel ad virtutem impellant,  
vel consolentur.*

### Prob. Prius.

#### I.

**S**ic *Paulus* humilitatem ex *κενωσει* Servato-  
ris, Phil. II. 8. 9. patientiam ex ignomi-  
nia crucis Christi, Ebr. XII. 2. liberalitatem  
ex Ejus paupertate, 2. Cor. VIII. 9. inculcat  
& suadet. Conf. Rom. XV. 7.

2. Sic *Petrus* ad patientiam in cruce exem-  
plo Christi patientis adhortatur, 1. Pet. II. 21.

3. Sic *Johannes* ex amore Christi erga nos,  
nostram erga proximum charitatem dedu-  
cit, 1. Joh. III. 16.

### Prob. Posterius.

#### I.

Sic *Paulus* Rom. Vlll. 17. asserit: *Qui cum  
Christo patiuntur, eos & cum illo ad gloriam extol-  
lendos.* conf. v. 29. 1. Tim. II. 11.

2. Sic 1. Pet. III. 14. 17. Scopus Apostoli  
est, consolari afflictos in adversis. Argu-  
mentum vero solatii est Christus, patiens  
juxta & triumphans, v. 17. 18. 19. conf. 1. Pet.  
IV. 13. B. D. Neumannus in Disp. de *Descensu  
Christi ad inferos*, §. 2.

## XXIX.



## XXIX.

*Quoties VITA MORTI Christi in Scriptis  
Apostolicis opponitur, toties Resurre-  
ctionem Ejus notat.*

### Prob.

#### I.

Sic Rom. VI. 10. *Quod Christus moriens est,  
peccato mortuus est semel; quod autem vivit, vi-  
vit DEO.*

2. Sic Rom. XIV. 9. *Ad hoc Christus & mor-  
tuis est, & surrexit, & revixit &c.* Ubi non  
est ὑπερον προληπον, quando Paulus vitam post-  
ponit resurrectioni; sed per reviviscientiam  
vitam intelligit perennantem, qua Christus  
nunquam in posterum excidet, q. d. Re-  
surrexit ad vitam immortalem. Confer c.  
VI. 9.

3. Sic Christus dicitur crucifixus ex infirmi-  
tate, sed vivens ex virtute DEI, 2. Cor. Xlll. 4.

4. Similiter Petrus 1. Ep. III. 18. de Christo  
asserit, quod sit mortificatus carne, vivificatus  
autem, i. e. resuscitatus à morte, Spiritu.

## XXX.

*DIES DOMINI in Scriptis Apostolicis commu-  
niter diem extremi judicii notat.*

#### §. I.

Vide loca 1. Cor. I. 8. V. 5. 2. Cor. I. 14. Phil.  
I. 6. 10. II. 6. 1. Thess. V. 2. 2. Thess. II. 2.  
2. Pet. III. 10. Dicitur & dies ille magnus, Ep.  
Hh 3 Judæ



Judæ v. 6. itemque dies absolute: 1. Thess.  
V. 4. Ebr. X. 25. Dies illa, 2. Theſſ. I. 10. 2.  
Tim. I. 18. IV. 8.

§ 2. Dicitur autem *Dies Domini* dies novis-  
simus, in primis, quia illum peculiariter fa-  
cturus est Dominus non ortu solis, sed splen-  
dore suo admirando, & luce glorioſa. Ali-  
ter accipitur phrasis in V. T. Conf. B: Galo.  
*Bibl. Ill. N. T. To. II. fol. 878. b. sq.*

### XXXI.

*Certitudo fidei Christianæ verbo SCIRE in scri-  
ptis Apostolicis indicatur.*

#### I.

**S**ic Rom. VIII. 38. *Scio, quod neque vita, ne-  
que mors &c. poffit nos separare à dilectione DEI.*  
conf. & v. 22. 28.

2. Sic 2 Cor. V. 1. *Scimus, si terrenum taber-  
naculum hoc deſtructum fuerit, quod ædificationem  
habemus ex DEO.* adde 2 Tim. I. 12.

3. Similiter, 1 Joh. III. 2. *Scimus, quando  
apparuerit, similes ei erimus* conf. v. 5. 14. c. V.  
13. 20.

Nullus itaque dubitationi Pontificiae locus  
est. conf. B. Aeg. Hunn, Opp. To. IV. f. 312. b.

### XXXII.



## XXXII.

*Paulus in Epistolis suis à tractatione mysteriorum & rerum credendarum ad morum informationem descendit.*

Ἐκθεσις.

## § 1.

**H**æc est Pauli consueta methodus, quæ in Epistolis ejus facile observatur. Cur vero Apostolus eum retinuerit in docendo ordinem, *Augustinus* hanc rationem reddit: Ni si in homine præcedat fides, vita bona sequi non poterit. conf. *Andr. Hyper. de Ratione Studii Theol.* p. 333. Dixeris, Paulum hoc ipso monere, doctrinam Evangelii de gratia DEI sic tractandam, ne interim negligatur morum sanctimonia. Egregie B. Lutherus: Auf diese Weise lehret Paulus in allen seinen Episteln/ erstlich vom Glauben an Christum/ und setzt den guten Baum; gleich als der einen guten Garten will zeugen / der muß gute Bäume haben; zum andern von den Früchten / und guten Werken. To. VIII. Altenb. f. 511. a. fin.

§ 2. Cum itaque talis methodus in Epistola ad *Hebræos* quoque observata fuerit, haud inconcinnne hinc colligas, Paulum itidem hujus Epistolæ Autorem esse.



## XXXIII.

*S. Pauli Epistolæ & sententiis, & argumentis,  
& mysteriis sic abundant, ut vel judicio di-  
vino difficiles intellectu censeantur.*

I.

**Q**uia ipsorummet hostium consensu di-  
cuntur graves & ponderosæ sententiis,  
& pressæ argumentis. 2 Cor. X. 10.

2. *Q. Epiphanio* judice contrarias verborum  
sententias, Hæref. LXIV. n. 29. *Flacio* au-  
tem censore, in singulis vocibus singula En-  
thymemata contineant. In *Clave*, P. II.

3. *Q. ex Petri testimonio* in argumentis E-  
pistolarum quædam difficilia occurrunt.  
2 Pet. III. 16.

Nimirum sapientia divina vel ideo Scripto-  
rem sacrum difficultem esse voluit, ut scruti-  
nium nostrum accendat, nec protrita facili-  
tate lectori fastidium præbeat.

## XXXIV.

*Epistolæ Pauli quo tempore scriptæ sint, nosse  
multum confert ad quæstiones  
explicandas.*

I.

**I**ta, cum videmus, *Romanis ac Colossensibus* Pau-  
lum iisdem de rebus scribentem, non eo-  
dem tamen modo, sed illis quidem magna  
cum indulgentia, cum ait: *Porro eum, qui in-  
firmatur fide, assumite, Rom. XIV. 1.* *Colossen-  
sibus autem non perinde, sed majore cum li-  
ber-*



bertate ac fiducia: *Itaque si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid tanquam viventes in mundo decretis tenemini?* Ne tetigeris, ne gustaveris, neque contrectaveris. Col. II. 20. 21. Hujus quidem differentiae nullam aliam invenimus causam, quam ipsum Epistolarum tempus. Initio indulgendum erat, postea autem non ita. Notante Flacio ex Chrysostomo, P. II. Clav. f. m. 155.

2. Ita cum Pontificii ex 2 Thess. II. 15. pro traditionibus suis velut Achillæam Panopliam objiciunt: *Tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram;* tenendum accurate est, juxta Irenæi supputationem, tum temporis nec Matthæum, nec ullum Evangelistarum adhuc scripsisse, & à Paulo utramque ad Thessalon. Epistolam tantum fuisse scriptam. Sicut igitur recte dicitur, in duabus illis Epistolis non omnia, quæ de Christi & Apostolorum doctrina cognitu necessaria sunt, comprehensa esse; ita Paulus merito dicit, Thessalonicenses debere non tantum illam doctrinam, quam in binis Epistolis ab ipso traditam acceperant, tenere, in illis enim non omnia erant expresse comprehensa, verum etiam, quæ viva voce ab ipso tradita acceperant. Nunc vero aliter se res habet, postquam constitutus & absolutus est Canon Scripturæ N. Test. Unde & Apostolus in posteriori Epistola ad Timoth: quam circa finem vitæ scripsit, longe

H h s

aliter



aliter loquitur de Scriptura. conf. c. III. 15.  
16. 17. Vid. B. Chemnit: in *Exam. Concil. Trident.* P. l. f. m. 26. b. 27. a.

### XXXV.

*Stylus Pauli maxima ex parte est εἰρόμενος, in quo naturae ductu varia commata collaque connectuntur sine artificio, ut fiat oratio jugis & perpetua.*

*Ἐκθεσις.*

#### § I.

**E**quidem plurimi Interpretum Paulum cogere voluerunt, ut scriberet stylo καλέσαμενος, qui consisteret in singulis perfectis absolutisque sententiis: &, quando ipsum cogere non potuerunt, dixerunt, ipsum esse obscurum. Hæ sunt querela Ignatii, Origenis, aliorumque veterum, repetitæ etiam à recentioribus. Verum oratio continua una continua, perpetua serie decurrit, nec finitur, priusquam tota materia & sententia fuerit finita. Possimus tamen orationem tractam convertere, eamque facere versam.

§ 2. Ita e. g. sumamus Epistolam ad Colossenses, c. l. v. 1. continet subscriptionem, v. 2. inscriptionem: v. 3. auspicatur Epistola, & est continua orationis series, nullum est principium, nullus finis, unum comma alteri annexitur, non redit in orbem, per periodos, semper oratio pendet, & per 15. versus exten-



extenditur, nec tamen finitur, nisi post 15.  
absolutos: aliæ sententiæ hic aliis adduntur,  
donec tota materia fuerit absoluta. In quo  
quidem docendi genere opus est docta & ac-  
curata distinctione, alias facilis error est,  
Conferatur Epistola ad *Ephesios*, atque iterum  
habebitur illustrissimum exemplum oratio-  
nis tractæ; non finitur oratio, priusquam  
tota sententia absolvatur, quod fit in fine ca-  
pitis I. Et c. II. alia materia inchoatur. Nec  
minus Epistola ad *Romanos* tali stylo conscri-  
pta est.

§ 3. Neque vero ideo assentiendum illis est,  
qui orationis genus, quod *εργμενον* dicitur,  
simpliciter damnant, quandoquidem *Ari-*  
*stoteles* ipse Rhetor. L. III. c. 9. docet, illud  
olim ab omnibus fuisse usurpatum. Et *Dion.*  
*Halicarnasseus* notat, quod usque ad *Thucydidem*  
hoc orationis genere scripserint: ab hujus  
enim tempore ornatus orationi additus,  
alias omnia erant simpliciter ac naturali or-  
dine scripta. Et quia in N. T. stylus simplex  
minimeque affectatus est, ubi Spiritui S. pla-  
cuit simplicitas, cuius *Paulus* in Epistolis suis  
passim meminit; ideo & ipsi placuit tale sim-  
plex dicendi genus, quod caret fuso, atque  
omni ornatu. Quanquam igitur negari ne-  
queat, orationem versam esse elegantem &  
claram; interim si stylus Pauli, oratione  
tracta constans, ex sua ratione aestimetur,  
haud culpandus est, & si recte distinguatur,  
omni-



omnino facilis est. Hinc diximus, quod videatur difficilis & obscurus, scilicet illis, qui ipsum non ex suis nativis rationibus tractant. Sic putabat B. Er. Schmidius, totum caput III. Ephes. esse parenthesi includendum: causa ea est, quia volebat orationem confidere κατεργαμένην.

§ 4. Ac ne solus *Paulus* in exemplum producatur, ex *Herodoto* quædam adducemus, plane similia. Præmittit toti Historiæ Exordium, quod itidem est tractum & pendulum, nec finit, nisi cum tota refinita. Oratio prima usque ad cap. VI. se extendit, comma commati additur, & sententia sententiæ. In c. VI. auspicatur novam de Crœlo historiam, quam non prius finit, donec tota illa historia fuerit finita. Et sic in aliis. Hac ex B. Stolbergii Collegio Hermen. MSto.

### XXXVI.

*In Pauli stylo singularis quedam devotus, & Spiritus fervor observari potest.*

#### I.

Sic prægrandes res passim solet adhibere Paulus ad elocutionem, ut sunt: Abyssus, thesauri, arma ad expugnandam munitionem, &c.

2. Sic ad efficaciam sermonis Paulini pertinet, quod Rom. II. accusans omnes Judæos internæ hypocriseos, & non vere præstitæ legis, ita subito loqui incipit, ac si de tota turba



turba unum aliquem sanctulum Pharisæum,  
vel maxime ac præ cœteris de sua operum  
iustitia tumentem, corripuisse, eumque in  
medio omnibus in exemplum sisteret. *Ecce,*  
*inquit, tu cognominaris Judeus &c.*

3. Sic Rom. VIII. magna δαίνωσις latet,  
v. 30. sqq. ubi interrogations vehementiam  
sermonis augent. Grandem etiam orationem  
reddit, quod velut afflatus Numine, nihil hu-  
mile dicit. Proponit enim magnifice: *Sci-  
mus, quod diligentibus Deum omnia &c.* Deinde to-  
tus sermo constat magnificis tum rebus, tum  
personis: *Mors, Vita, fortitudo, altitudo:*  
*Deus, Christus ad Dextram DEI, &c.* Unde  
hunc locum in exemplum grandiloquentiæ  
adducit D. *Augustin. de Doctr. Christ. Libr. IV.  
cap. 20.*

4. Similiter locus Pauli, *I Cor. IV. 7-13.*  
grandis atque vehemens est. Namque ve-  
hemens oratio & ardens est, quia urget a-  
cribus interrogationibus: deinde quasi far-  
casmis quibusdam: *Jam saturati estis, jam  
ditati estis.* Postremo comparatione suæ du-  
ræ sortis premit Corinthios, quasi ipse mul-  
to iis sit abjectior. adde Gal. III. 1. &c.

5. Recte hinc notat B. *Dannhauer. in Hermen.  
S. p. 356.* observatur in Paulo ardor τῆς πνεύ-  
ματος ζέοντος, ac impetus quidam, è quo hy-  
perbata, parentheta, ἀποστιώσεις, superla-  
tiva λέξις, quam amat Paulus, ut: ὑπερεκ-  
χύνομαι, ὑπερνικῶ, ὑπερψύχω &c.

6. Hinc



6. Hinc & B. Lutherus ait : Condonandum est Spiritui sancto, in Paulo loquenti, si pecet aliquando in Grammaticam. Ipse magno ardore loquitur &c. To. IV. Jen. Lat. fol. 33.b.

7. Atque hoc est, quod adversarii de Pauli Epistolis judicarunt, quod sint graves & vultae, 2. Cor. X. 10.

Vid. de Styli Paulini vehementia *Flac.* in *Clas.* *Script.* P. II. f. m. 355. sqq. Alias vir eruditus, Ila. Casaub. in *Exercitt. Anti-Baron.* p. 138. fin. promiserat, se de propria Apostolo *deuotissimi* & energia multa dicturum ad A. D. 57. Sed eo usque non perrexit.

### XXXVII.

*HYPERBATA apud Paulum obvia sunt.*

#### I.

Sic Rom. II. v. 12. cum 16. cohæret, inferti autem v. 13. 14. 15. emphaticæ Exegeſeos causa adduntur.

2. Sic Rom. V. pendula sententia est à v. 11. 18. coeteri vero versus melioris interpretationis ergo interponuntur.

3. Sic Eph. II. est hyperbaton a v. 1-. Nam v. 5. demum infertur, quod pertinebat ad v. 1. συνεκώποιησε τῷ χειρὶ.

4. At vero Eph. III. ab init. male asseritur hyperbaton, & connectitur demum cum c. IV. 1. quasi subiectum sit c. III. 1. prædicatum vero c. IV. 1. conf. supra, p. 112. Sicut nec



nndum  
si pec-  
e ma-  
z. Lat.  
e Pauli  
T vali-  
n Clu-  
us, Ila.  
pro-  
Thi &  
Sed eo  
nt.  
inser-  
xege-  
V.II.  
tatio-  
I - J.  
tine-  
eritur  
cum  
dica-  
Sicut  
nec

nec opus est, ut Hebr. II. 9. tam operosum hyperbaton in Apostoli verbis statuamus, cum levissima trajectione ordo verborum si- bi constare possit, si nomen ἵησος ante ver- bum βλεπωμεν, ponamus Vid. B. Ittigii Opu- scula, p. 77.

Equidem *Origenes* de Hyperbatis, hiatibus & imperfectis orationibus Paulinis conque- ritur, cui etiam *Hieronymus* subscribit, qui a- lioquin in laudes Pauli latius digreditur. At vero, si ὑπερβαλον sermonis vitium, vel ma- ximi Oratorum Græcorum Latinorumque imperitiæ in dicendo poterunt accusari. vid. B. *Jac. Weller. Comm. ad Rom. p. 46.*

### XXXVIII.

*Paulinum est, Gentilium Scriptorum testimonii  
convincere Adversarios.*

#### I.

Sic Act. XVII. 28. Arati Poëtæ Hemistichion citat: τὸ γὰρ καὶ γένος εἰσμέν.

2. Sic 1Cor. XV. 33, adducit versum Jam- bicum Menandri adversus Epicuræos: Φεί- γεται οὐδὲν Χρῆσθαι οὐκινά.

3. Sic Tit. I. 12. Hexametro Epimenidis mi- litat. πρῆτες δεὶ ψευσαί. vid. B. *Hier. Kromayer.* in *Polymath. Theol.* P. II. c. 6. ubi tandem ita: Versiculi Poëtarum, qui citantur à Paulo, ante citationem non fuerunt canonici, quibus fide divina credendum, postquam autem à Viro



Viro Θεοπνευστῷ usurpati, & Canoni N.T.  
fuerunt inserti, divinam auctoritatem jam  
obtinent. Conf. B. Walther. Harm. Bibl. pag.  
m. 48.

## XXXIX.

*Nec infrequens Paulo est dictio Poëtica.*

I.

**S**ic Apostolo nostro quandoque excidunt  
versus inopinati, ut: Tit. III. 2. 1<sup>o</sup> Tim. VI.  
16. Hebr. XII. 13. de quibus affirmaverim,  
non citra Spiritus S. assensum divinum Scri-  
ptorem eos protulisse.

2. Sic Poëtæ veteres cras in sive contractio-  
nem aliquando respuunt: idem imitatur Pau-  
lus in voce χειλέων pro χείλων, Hebr. XIII. 15.

3. Sic gratum erat Doribus, in casu secun-  
do pro βαρνάβᾳ dicere βαρνάβα, pro ἀρέτᾳ,  
ἀρέτᾳ, pro τότῃ, τότῃ, id. quod ita occurrit  
in Paulo, 2 Cor. XII. 32. Gal. II. 1, Hebr.  
VII. 14.

4. Sic Poëtis propriæ & familiares sunt  
abscissiones, & iisdem delectatur Aposto-  
lus, cum ἀνάσα pro ἀνάση inquit, Eph.  
V. 14. Et sic in cœteris.

Patet hinc, Scriptorem Θεόπνευστον literas  
seculares, & in primis artem Poëticam quam  
minime fastidivisse. vid. B. Musæus de Poly-  
mathia Paulina, B. Masius Sched. num. 2. de  
Polymathia Scriptorum S.

XL



## XL.

Neque vero afferendum est, Apostoli scripta, quo minus eruditio secularis, eo plus Spiritus & vitae habere.

*Entheosis.*

## § I.

Nimis sane rigidum S. Literarum Aristarchum agit Spenerus, & vel ipsam *Geontheosis* examinat ac perstringit, his verbis: Paulus hat die grösste Erudition, Wohlredenheit und andere hohe Gaben / und was er in der Academie gelernt / allgemach wieder ausgeschwizet. Je einfältiger er wurde / jemehr er an diesem abnahm / und jemehr Geist war in ihm. (quasi vero dona naturae & gratiae se invicem expellerent.) Man sehe nur die letzte Epistel an den Timotheum an/ die kurz vor seinem Tode geschrieben. Es ist ja gleichsam nicht anders als lauter Geist / und ein Macht-Spruch an dem andern. (Quasi vero id in aliis Epistolis deficeret.) P.I. Conc. Funebr. p. 112.

§ 2. Tantum vero abest, ut eruditio profana obstat Spiritus S. gratiae, ut potius donum DEI sit, & præclarum aliquod adminiculum præstet, Scripturas S. solide explicandi. Mosi certe, Jobo, Salomoni, Danieli aliisque scientias seculares minime obfuisse, res ipsa loquitur, & S. literarum monumenta testantur. Nimis vero temerarium est, de viro *Geontheos* afferere velle, quod in futuram oblivionem quicquam didicerit. Et cer-

I i te

te seculari eruditione vel maxime instructum esse oportebat Apostolum, qui ad Gentiles convertendos mittebatur.

§ 3. Quid? quod in ipsamet posteriori ad Timoth. Epistola haud obscura eruditionis profanæ vestigia occurrunt. Sic de excitandis donis vocabulo utitur Platonico, *ἀνθερπεῖν*, 2 Tim. I. 6. conf. inferius Observ. LVII. Sic & Scholas Medicorum redolet, quod c. II. v. 16. 17. profanas Hæreticorum phraseologias cum *gangrena* comparat, indies invale scente. Tum & ex eruditione Aegyptiaca depromtum est, quod de *Janne* & *Jambre*, accurris *Mosis* adversariis memoriarum prodidit, c. III. s. Conf. B. *Bücher*: in Myster. inquit. p. 31. 32. Qui & hic notat principium Platonico - Pythagoricum, hominem obliuisci omnium idearum ante obitum.

## XLI.

*Paulus in diversis Epistolis eadem saepe repetit.*

### I.

Sic convenientiam inter Epistolam ad *Philippenses* & *Colossenses*, quam habent in verbis, rebus & sententiis, monstrat B. *Humm*, Opp. To. IV. f. 643. f. seq. a.

2. Sic crebram repetitionem articulorum fidei in Epistolis Pauli facile observes.

Facit



Facit nimirum ad ασΦάλειαν, quod eadem  
Paulus scribit repetitque. Phil. III. 1.

### XLII.

Paulus in omnibus fere Epistolis suis, se opponit  
Pseud-Apostolis.

#### § 1.

B. Lutheri hæc observatio est, dicentis: Semper oblique petit Paulus Pseudo-Apostolos: Hi enim urgebant Legem &c. Comm. ad Gal. To. IV. Jen. Lat. f. 71. b.

§ 2. Adeo egregia est ejusdem Megalani regula: Scriptura plena est Antithesibus, & ingeniosi hominis, cernere antitheses in Scripturis, ac per eas interpretari ejus sententias. ib. f. 81. a.

### XLIII.

Paulus in Philosophiam Platonicam crebro  
invehitur.

#### I.

Ita reprehendit hominem Φυχινὸν, 1. Cor. II. 14. qualis autem ille fuerit, exponam verbis Dnn. Autorum der unschuld. Nachricht. Ao. 1702. Die Platonici verstanden dadurch einen in ihren Geheimnissen hochfahrnem Menschen / der seine Seele zu dem höchsten Grad der Vollkommenheit nach seiner Einbildung gebracht hat/ daß sie deiformis wird; seinen Leib aber/ als das Gefängniß und die Last der Seelen/ ganz unterdrücket/

II 2

und



und also ganz seelisch ist. Ein solcher kan die Geheimnisse der Christl. Religion nicht fassen/ denn sie scheinen ihm gegen seine Platonische Geheimnisse nur Thorheit/ oder abgeschmacktes Zeug zu seyn. Ostendit hoc connexio atque scopus. conf. in primis c. II. I. 4. 5. 6.

2. Ita *Apotheosis* Platonicam rejicit, qua hominem deificari, statuebant, Coloss. II. 8. 9. Cum enim cuivis homini sapienti τὴν Θεότητα vendicarent, reclamat Apostolus diserte, & nullum hominum præter Christum existere, inquit, *in quo Θεότης radiet*. Vicissim cum illi quandam divinitatis particulam, homini ingenitam, fingerent, hic πᾶν τὸ πλήρωμα in Christo inhabitare docet, atque hinc deceptricem Philosophiam ex merito vocat, à qua sedulo cavendum sit. Atque ita Textus optimè cohæret. Vid. B. D. Neumannii Disp. de Αποθεώσει Fanaticorum § 14.

3. Ita 2 Tim. II. 18. Apostolus in eos invehitur, qui dicebant, *resurrectionem jam esse factam*: quod in primis Platonicorum dogma fuit, quoties nempe generetur homo, toties animam ex statione sua descendere in corpus, atque *αναβιώσκεται*, reviviscere. Vid. pluribus B. D. Neumann. in peculiari Programm. Pasch. de anno 1706.



XLIV.

*Apostolus in Textibus V. T. ponderandis  
mirus fuit Artifex.*

I.

Ita Paulus ex opere *creationis* primi diei, Gen. I. 3. opus secundæ creationis, tanquam non minus singulare atque arduum illustrat: *Deus, qui dixit, ex tenebris lucem illucescere, illuminit in cordibus nostris &c.* 2. Cor. IV. 6. Frequentissima enim in Scripturis comparatio est, inter *Φωλισμὸν* primæ creationis & applicatæ Redemtionis, vid. B. *Varen. Comm.* in *Genes.* p. 42. 43.

2. Ita Paulus promissionem divinam Gen. XV. de terra Canaan Abrahamo danda, à semine carnali ad credentes transfert. Quia enim tota res in eo consistit, quod Abraham Deo credidit, & reputatum est ei ad justitiam; universalem hanc inde extruit, quod omnis, qui promissioni credit, sicut Abraham, sit hæres æterni regni, & justus. vid. Gal. III. 6. f. Unde ista disputat Paulus? Unde sumit ea? quærerit B. *Lutherus*? Ex hoc nimis loco (Gen. XV.) quem nisi Apostolico Spiritu suscepisset explicandum, omnes nos tanquam inutile & obsoletum dictum præterivissemus. Debetur igitur Paulo, tanquam summo sacrae Scripturae Doctori, præcipua gloria &c. To. II. in *Genes.* f. 58. b.

3. Ita Paulus, Rom. IX. ubi vult oftendere,

dere, electionem non consistere in prærogativa carnis, nec in dignitate aliqua mundana, sed in mera DEI gratia promissa, ibi allegat Textum Mosis, Gen. XXI. & ter repetit, Isaacum esse natum, sicut dixerat Deus, indeque extruit hanc doctrinam, filios DEI electos esse, non qui secundum carnem nascuntur, sed qui secundum promissionem DEI, quam fide apprehendunt, & juxta eam renascuntur. Quis nostrum tale mysterium in hoc textu quæreret? Sed Spiritus S. Paulo aperuit sensum Scripturæ hujus, ait B. Polyc. *Lyserus in Isaaco p. 6.* confer B. Lutherus To. II. in *Genes. f. 78.* item To. III. f. 7. f. de nativitate Iacobi atque Isaaci.

4. Ita Paulus Gal. III. 8. seqq. locum Gen. XXII. 18. vere Apostolico Spiritu tractat. Et hinc apparet, quanta diligentia Paulus legit Scripturas, & quam studiosissime expenderit singula verba istius loci; *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ.* Primum ex vocabulo *benedictionis* sic colligit: Si benedictio est futura in omnes gentes. Ergo omnes gentes sunt sub maledicto, etiam Judæi, qui legem habent, & affert ideo testimonium Scripturæ. Deinde urget particulam, *Omnis gentes*, ex qua sic colligit, Benedictionem non solum pertinere ad Judæos, sed etiam ad omnes Gentes totius orbis terrarum. Cum autem ad omnes gentes pertineat, impossibile sit, eam contingere per legem Mosis,



Mosis, cum nullæ gentes eam habuerint, præter Judæos. Postremo particulam, *In semine tuo*, hoc modo explicat, quod aliquis homo nasci debebat ex semine Abrahæ, scilicet Christus, per quem ventura erat benedictio in omnes gentes &c. Hoc vere est interpretari Apostolico more Scripturas. vid. B. *Lutherus Comm. ad Gal.* To. IV. Jen. Lat. f. 93. confer *Hyperii Topic. Theol.* p. 106. seqq.

5. Sic Paulus Rom. VII. 7. sqq. Legem divinam de *concupiscentia* egregie explicat. Inter alia diserte ostendit, concupiscentiam non tantum pugnare contra sextum & septimum præceptum, sicut verba videntur sonare in Decalogo, sed contra totam legem, v. 22. 23. vid. fuse id demonstrantem B. *Chemnit. LL. Theol. P. II. f. m. 96. 97.* ubi tandem addit: *Et vel ex hoc uno exemplo intelligi potest, quale fuerit donum interpretationis in Apostolis.*

6. Similiter Gal. IV. Paulus ludit vocabulo *Agar*: quod cum homonymum sit, & significet ancillam Abrahæ, & montem Sina, egregie Apostolus transstulit ad servitutem, quam nobis creat lex. conf. de *Melchisedeco*, Ebr. VII. & per integrum fere Epistolam de Sacerdotio Levitico, atque Sacrificiis.

7. Et locum, Esa. VIII. 18. Paulus tanto Spiritus S. acumine inspexit, ut perspicue doceat, Christum his verbis concionari, se humanæ carnis participem fore, Ebr. II. 13.



B. Brent. Opp. To. IV. f. 219. Sicut & Apo-  
stolus ibidem ex Ps. XXII. ubi Christus pios  
vocat fratres suos, probat, eum verum esse  
hominem, qui non erubescat, homines vo-  
care suos fratres.

8. Sic Apostolus Hebr. IV. 5. respicit ad  
hoc, quod Gen. II. extat verbum καλέπαυ-  
σεν, observavit idem verbale in loco Psalmi,  
qui habet: *si introibunt eiς τὴν καλάπαυσιν*. Unde concludit, in utroque loco de una ea-  
demque agi requie aeterna, non tantum ip-  
sius DEI, sed nostra etiam apud DEum. Ita  
in collatione Scripturarum omnes circum-  
stantiae probe excutiendae sunt; & identitas  
vel affinitas phrasium & verborum sine dili-  
genti consideratione dimittendae non sunt;  
notante B. Seb. Schmidio, Comm. ad Hebr.  
p. 475.

9. Addo adhuc ex B. Luther, Comm. ad  
Hos. XIII. 14. Paulus, ait, pro excellenti sua  
cognitione, pulcherrimas & plenissimas  
consolationum consequentias ex hoc Pro-  
phetiae loco necit: Si, inquit, mors amisit  
aculeum, sive potentiam suam, sequitur et-  
iam peccatum per Christum expiatum, &  
nos ab eo liberatos esse. Ubi enim pecca-  
tum est, ibi mortem existere, necesse  
est. &c.

Ex merito adeo judicavit Megalander, Pau-  
lum & Johannem esse Interpretes V. T. præstan-  
tissimos, propterea, quod longe altius, quam  
alij



alii, Mosen & Prophetas introspexerint: uti verba ejus allegat B. Hier. *Besoldus*, præfat: ad To. IV. in Genes. Lutheri. Et To. II. in Genes. f. 78. b. Paulum vocat optimum & doctissimum Mosis interpretem. conf. *Mel.* Explic. Ev. P. I. p. 618.

De cœtero, jucundum esse debet, obser-  
vare, quomodo Apostolus ponderarit tex-  
tus V. T. ut summos Articulos fidei nostræ  
Christianæ inde erueret; docente B. *Lyscro*  
in *Abrah.* p. 246. Et B. *Dorscheus* notat, Aposto-  
lum omnes pene loquendi formulas divino  
artificio è V.T. collegisse in Pentad. p. 245.

### XLV.

*Paulus Apostolus varia Scripturæ loca in  
unum congerit, indeque certam sen-  
tentiam extruit*

Vid. e. g. Rom. III. 10. seqq. I. Cor. XV. 54.  
55. Rom. XV. 9-12. &c. Adducam B. Lu-  
theri verba: S. Paulus thut solches nach seinem  
reichen Geist / daß er viel Sprüche auff einen Hauf-  
sen schmelzet / und geust einen solchen Text daraus/  
den die ganze Schrift giebt / und der ganzen  
Schrift Meinung ist. To. VI. Jen. Germ. f.  
287. b.

### XLVI.

*Apostolo in Allegatione dictorum V. T.  
frequens est METALEPSIS.*



## I.

**S**ic Gen. XV. 6. יְהוָשָׁבָת reddit Paulus per ἐλογίαν, Rom. IV. 3. ubi ridiculus est *Ribera*, quando scribit: est Hebræorum consuetudo, ut nonnunquam Præteritum Acti-  
vum ponant pro Passivo.

2. Sic locum Esa. XXV. 8. *absorbebit mortem*, maluit Apostolus in *Passivo* exprimere, 1 Cor. XV. 54. Si enim Christus victor absorpsit mortem, quod dicit Fſaias, sequitur uti-  
que, quod *mors sit absorpta in victoriam*, quod dicit Paulus.

3. Sic Ps. LXVIII. 19. in prima persona sermo est; Sed Paulus locum allegans, in ter-  
tia Persona eloquitur: *Ascendens in altum cap-  
tivam duxit captivitatem, et dedit dona hominibus*, Eph. IV. 8.

Nimirum hæc libertas Spiritus sancti, verba Scripturæ non semper secundum sonum licet secundum sensum, adducere. conf. B. Joh. Tarnov. Comm. in Proph. min. p. m. 360. Edit. rec.

## XLVII.

*IDIOTISMI Paulini probe notandi  
sunt.*

## I.

**I**ta Paulus in sensu παρέγνωσίας vel sexagies utitur vocibus: καυχασμαὶ, καύχημα, καύ-  
χησις.

2.



2. De corruptione carnali, in oppositio-  
ne ad Spiritum & gratiam vocem *caro usur-*  
*pat*, Rom. VI. 29. c. VII. VIII.

3. Sic πιστός ὁ λόγος, est idiotismus Pau-  
linus; & plura alia, de quibus mox sigil-  
latim.

Recte adeo notat B. *Lutherus noster*: Es hat  
ein iglicher Apostel seine eigene Weise zu reden /  
wie auch ein iglicher Prophete. To. II. Altenb.  
f. 432. a.

### XLVIII.

*Character Pauli est affectus amoris te-*  
*nerrimus.*

#### I.

Sic Rom. I. 10. s. semper in precibus meis rogo, ut  
&c. desidero enim videre vos s.

2. Sic 1. Cor. IV. 14. 15. 16. Non, ut confun-  
dam vos, haec scribo, sed ut filios meos charissimos  
moneo. Nam si decem millia paedagogorum habeatis  
in Christo. &c.

3. Sic 2. Cor. II. 4. Ex multa anxietate & op-  
pressione cordis scripsi vobis per multas lacrymas s.

4. Similiter Gal. IV. 19. 20. Filioli mei, quos  
iterum parturio s.

5. Et Phil I. 7. testatur, quod Philippenses in corde suo habeat. Hinc passim pastori, pa-  
tri ac matri, nec non agricolæ & hortula-  
no se comparat. confer inpr. I. Thess. II.  
7. 8. II.

Ita



Ita Paulus Ministris Ecclesiæ exemplum præbet, ut plusquam maternis blandimentis auditores ad se allicant.

XLIX.

*Vicissim in objurgationibus gravitatem cum lenitate prudentissime temperat.*

I.

**I**ta gravitas insignis verborum elucet ex Gal. III. 1. 2. 3. o! stulti Galatae, quis vos fascinavit &c. Lenitas apparet ex eo, quando c. IV. 12. pergit: *Fratres, ora vos. Nulla me injuria affecisti.* conf. v. 19.

2. Sic gravitas in reprehensione est, i. Cor. III. 3. *Adhuc carnales estis,* v. 17. *Si quis templum DEI perdit, perdet ipsum Deus.* conf. c. V. 1. sq. Lenitas apparet ex eo, quod quasi iterum placatus, dulcibus eos affatur verbis, i. Cor. IV. 21. c. VI. 11.

Ita omnino prudentia opus est in officio Epanorthotico. conf. B. Glaff. Philol. S.p. m. 243.

L.

*Compellationibus novis Apostolus tum uti solet, quando novum quid vult proponere.*

Sic Rom. X. 1. Gal. III. 1. c. VI. 1. Eph. IV. 1. i. Cor. X. 1. c. XV. 1. 1. Thess. IV. 1. c. V. 1. & sape alias.

LI.



L.I.

Similiter phrasis: γνωρίζω δὲ ὅμινον, à Paulo  
usurpari solet, quando prolixius a-  
liquid narrare, docere, pro-  
bare vult.

I.

Sic Gal. I. II. q. d. Notum autem vobis facio,  
prolixiori probatione, à conversione mea  
& gesto Apostolatu sumta, quod Evange-  
lium à me prædicatum non sit secundum  
hominem.

2. Sic & 1 Cor. XII. 3. c. XV. 1. 2. Cor.  
VIII. I. B. Seb. Schmid. ad Galat. p. 26. f.

Facit utraque observatio ad materias, à  
Paulo tractatas, eò melius distinguendas.

LII.

Lapsus styli ex alio in aliud apud Paulum  
usitatus est.

I.

Sic statim in salutatione miro artificio ex  
alio in aliud labitur.

2. Sic maxima pars Epistolæ ad Romanos  
inter se cohæret. Primum in Exordio do-  
cet, se cupere Romanos docere. Adfert ra-  
tionem à præstantia Evangelii, & ejus justi-  
tiæ, quam ut ostendat omnibus esse neces-  
sariam, omnes coarguit peccati, primum  
Ethnicos, postea Judæos, &c. Quæ rerum  
sen-



sententiarumque perpetua connexio mira  
artificio per integra XI. capita cohæret.

3. Sic Eph. III. quasi per circulum reddit in  
eandem propositionem. Cum enim v. 1.  
dixisset, *siquidem audivistis dispensationem gratie  
DEI, datam mihi erga vos*; post multa addit., v.  
7. *per Evangelium, cuius factus sum Minister*. Hic  
principalis propositio erat, jussum se esse,  
gentes docere Evangelium: ex ea per varias  
propositiones labitur, donec tandem eodem  
revertatur.

Vid. pluribus *Matth. Flacius Clav. Script. P.*  
*II. f. m. 321. sq. & conf. supra, Enth. XXXV.*

### LIII.

*Paulus in Epistolis suis s̄ape TESTATUR,  
ad indicandum fervorem.*

**L**oca sunt: Rom. XII. 1. Eph. IV. 17. 2.  
Theff. II. 1. I. Tim. V. 21. adde I. Thess.  
II. 12. c. IV. 1. c. V. 12. 14.

### LIV.

*Paulus ad Corinthios, Romanos, Galatas, E-  
phesios &c. scribens, tantum GRATIAM &  
PACEM appregatur: Quando vero  
ad Timotheum & Titum scribit,  
MISERICORDIAM expresse  
addit.*

Ἐνθεσις.

**T**udicat autem cum Chrysostomo Theophylactu,  
vocem ἀλεος ex charitatis vehementia quadā  
in



in voto additam; vel quia diabolus vehementius in Ministrum armatur. Scilicet voce  $\chi\alpha\rho\iota\varsigma$  designatur *gratia*, quæ fons & origo omnium bonorum, eaque majoris emphaseos causa per  $\epsilon\lambda\epsilon\omega\varsigma$  misericordiam exprimitur, miseriā nostrā gratiose & cum commiserationis affectu respicientem. conf. B. *Baldūn.* Comm. in *Epp. Paul.* f. 1252. a. & B. *Quistorp.* ad *Tim.* p. 9. in.

## LV.

*Quoties Paulus sui meminit Apostolatus,  
toties simul recordatur mirandæ  
conversionis suæ.*

Apparet hoc ex *Col.* l. 1. 1. *Tim.* l. 1. *Tit.* l. 1.

## LVI.

*Solenne divino Doctori est, egregiam aliquam  
Evangelii sententiam his verbis prædicare:  
 $\pi\iota\omega\varsigma \delta \lambda\circ\gamma\omega\varsigma$ .*

## I.

Sic doctrinam de salutari Filii DEI incarnatione ita confirmat: *Fidelis sermo, & omni acceptatione dignus, quod Christus JESUS venit in hunc mundum, ut peccatores salvos faciat.* 1. *Tim.* l. 15.

2. Sic promissio pietatis, quæ de præsenti & futura vita extat,  $\pi\iota\omega\varsigma \delta \lambda\circ\gamma\omega\varsigma$  est. 1. *Tim.* IV. 9

3. Rursum, quæ de Ministerio verbi, de effusione Spiritus S. de gratia Servatoris, & justitia



justitia ipsaque salute æterna suppetunt do-  
ctrinæ, τις πιστὸς nomine commendantur,  
1. Tim. III. 1. 2. Tim. II. 11. Tit. III. 7. conf.  
B. D. Neumann. Programm. Acad. p. 55. 56.

Militat autem hæc formula adversus dubi-  
tationem Pontificiam

## LXVII.

*Apostolus voces, à Scriptoribus Ethnicis  
usurpatas, adhibet, & ad usum  
Sacrum transfert.*

## I.

**S**ic Eph. V. 8. *Estis lux in Domino. Ephesii enim  
Dianam, ceu DEam ut nativitatis corpo-  
ralis ita & Spiritualis, sive Φωτόρεαν, cele-  
brabant. Ostendit igitur Apostolus h.l. quo-  
modo ad veram lucem pertingant.*

2. Sic επιφάνειαν de adventu Christi pri-  
mo & ultimo adhibet Apostolus, Tit. II. II.  
3. cum hanc vocem de sua Deorum appa-  
ritione usurparent Scriptores profani, vid.  
Jac. Gotofred. in *Sacr. Exercitt.* p. 104. f.

3. Similiter ἀνθρώπειν vocabulum Pla-  
tonicum est: quo D. Paulus de excitandis  
donis utitur 2. Tim. I. 6. Unde colligit Scul-  
tet: Comm. ad h. I. Apostolum perlegendis  
Poëtarum ac Philosophorum scriptis maxi-  
mam impendisse operam.

4. Ita Rom. VI. 23. continuatur metapho-  
ra, à militia desumpta in qua invenitur  
ἀνθρώπος,



*ἰωνίον*, stipendum, quia olim necessaria ad victum dividebantur militibus, & *χάρισμα*, quod militi ex liberalitate donabatur. Sicut itaque mortem stipendio; ita vitam aet: donativo militari hic confert Apostolus.

5. Ita Col. II. 15. ipsum *triumphandi* verbum habetur, cum ritu triumphali, apud Romanos quondam usitato, ostentationes publicæ probrosæque.

6. Huc etiam referri potest vox *στοιχεῖον*, Gal. IV. 9. &c. quæ à Platone primum usurpata, & significat *elementa*. h.e. corpora prima atque simplicissima, ex quibus reliqua componuntur. conf. & Phil. Melanchton Explicat. Ev. P. I. p. 586. sq.

Hujusmodi itaque voces sunt velut vasæ aurea & argentea, ex Ægypto ablata, atque in usum Sacrum destinata.

## LVIII.

*Character Pauli est, in modo scribendi PAR-  
ENTHETICO, quem partim Pauli  
affctus, partim rei substratæ  
amplitudo subministrat.*

### I.

Sic Rom. I. 1-7. c. II. 12. ubi verba ultima: Per legem judicabitur, cohærent cum v. 16. in die, quando s.

2. Sic Hebr. III. 7-12. ita ut dicitur v. 7. init. refe-  
Kk ren-



rendum sit ad βλέπετε, v. 13. reliquis Parenthesi inclusis.

3. Similiter Parenthesis: *Gratia salvati estis conf. & supra de Hyperbatis*, Enth. XXXVII,

## LIX.

*Per CARNEM & SANGUINEM apud Paulum homo sibi relictus indicatur.*

### I.

Sic 1. Cor. XV. 50. carni & sanguini de-  
negatur hæreditas regni cœlorum. Sicut  
& Matth. XVI. 17. detrahitur ipsi à Christo  
ἀποκάλυψις cœlestis de se veritatis.

2. Sic Gal. I. 16. per σάρκα καὶ αἷμα nihil a-  
liud intelligitur, quam Φρόνημα τῆς σαρκὸς,  
Rom. VIII. 6. 7.

3. Eadem ratio est σάρκος καὶ αἵματος, Eph.  
VI. 12. nam & ibi intelligitur vetus Adam.  
Cum enim dicitur, non esse nobis pugnam,  
adversus carnem & sanguinem, supple-  
dum est, scilicet tantum. Nam & omnino  
adversus carnem nobis pugnandum esse,  
patet ex Gal. V. 17. B. Dörsch: Comm. posth.  
in Ep. ad Hebr. p. 129 seq.

4. Nota vero, ad locum Hebr. II. 14. ad-  
versus Socinianos vindicandum, B. Galovius  
Regulam ita format: Caro & Sanguis nus-  
piam in Scriptura Sacra notat solam infirmi-  
tatem, sed vel ipsam humanam natu-  
ram per se, vel prout eadem peccato est

cor-



corrupta , aut corruptibilis. Bibl. Ill. N. T.  
To. II. f. 1192. a.

## LX.

*Elegantia Paulina est, sumtis ex V. T. cultu  
phrasibus, suadere & cohortari.*

## I.

Ita Rom. XII. 1. adhortatur Apostolus, ut  
I sistamus corpora nostra in Sacrificium vivum, qui  
sit cultus rationalis. Vox παρασῆσαι de rebus  
Sacris, quæ DEO consecrabantur, usurpatum.  
Ita de consecratione primogenitorum, Luc.  
II. 22. confer de Ecclesia, Eph. V. 27. Re-  
spectum ita ad morem pristinum; quamdiu  
altare erat & tabernaculum, omnis oblatio  
sacra ante tentorium & altare sisti debebat.  
Vid. *Wilhelm. Momma in Ep. ad Rom. p. 543.*

2. Ita *Sacrificia labiorum* poscit, Ebr. XII. 15.  
atque *eleemosynas*, ceu *Sacrificia*, DEO pla-  
centia, vult distribui. v. 16.

3. Ita I. Cor V. 7. ad novitatem vitæ ad-  
hortatur, hac loquendi formula usus: *Expur-  
gate vetus fermentum &c.*

4. Ita mortificationem carnis suadet, facta  
mentione *circumcisionis sine manu*, quæ est  
renovatio, Col. II. 11.

Nimirum Apostolus cultum N. T. verbis  
ex V. T. petitis describit, adeoque ostendit,  
Christum in Mose, Ecclesiam Christianam  
in Synagoga, & N. T. in Veteri adum-  
bra-

bratum fuisse: id quod Harmoniam utriusque fœderis mirifice confirmat.

LXI.

*Dicitio Paulina: εἰδότες, ἐν οἴδασse, non tam interrogantis, quam urgentis, convincentis & præsupponentis, est, hæc notissima esse.*

I.

**V**ide de priori loca: Col. III. 24. Eph. V. 5.  
2. de posteriori: Rom. VI. 3. 16. 1 Cor. III.  
16. c. V. 6. c. VI. 9. 19. c. IX. 13. 24.

LXII.

*Paulinum est, vocem ἐνεργεῖος non nisi in ACTIVA significatione adhibere.*

I.

Sic 2. Cor. I. 6. de salute, in nobis operante, 2. Cor. IV. 12. de morte, in nobis agente, usurpatur.  
2. Sic. Eph. I. 11. de DEO, omnia operante secundum consilium voluntatis sue. conf. & Col. I. 29.  
3. Sic de Anti-Christo, Mysterium iniquitatis jam operatur. 2. Thess. II. 7. adde Rom. VII. 5. Eph. III. 20. 1 Thess. II. 13.  
4. Vindicatur hinc locus Gal. V. 6. ubi fides dicitur per charitatem ενεργείαν, sensu non passivo, ut Pontificii volunt, sed activo, ut Analogia fidei requirit.

LXIII.



LXIII.

Verbo λογίζομαι Paulus crebro utitur, ad certitudinem rei indicandam.

I.

Sic de justificatione per fidem, sine bonis operibus: λογίζομεθα &c, colligimus igitur, velut *Arithmeticus* ex dato numero summam colligit &c.

2. Sic de excellentia gloriae cœlestis: λογίζομαι, quod non dignæ sint passiones hujus temporis, ad futuram gloriam, in nobis revelandam. Rom. VIII. 18.

3. Sic Rom. VI. 11. monet suos, λογίζεσθε, colligite ut boni Logici, vos esse mortuos peccato, vivere autem DEO in IESU Christo.

4. Sic Ebr. XI. 19. de firma fide Abramam adhibetur. conf. & 2 Cor. XI. 5.

LXIV.

Verbum εὐεργέτειν Apostolus εμφατιῶς usurpat, vel pro judiciali convictione, vel pro operosa consecutione.

Prob. prius:

I.

Sic Gal. II. 17. Apostolus dicit - inveniens εστιν nos peccatores, i.e. judicialiter convincens.

2. Sic 2 Cor. V. 3. ait, nos studere debere spiritualibus indumentis, ne nudi inveniamur, scilicet in judicio divino, ad quod depositis corporis exuviis proficiscendum est.

K k 3

3. Sicut



3. Sicut & Act. XIII. 28. Paulus dicit, Ju-dæos nullam causam mortis in Christo invenisse, scilicet judicialiter, vel quod in judicio posset subsistere. conf. &c. XXIII. 9.

### Prob. Posterius.

#### I.

Sic Rom. IV. 1. dicitur, Abrahamum operan-do non invenisse aliquid secundum carnem.

2. Sic Hebr. XII. 17. de Esavo dicitur, quod cum lacrymis quæsiverit, ut parens revo-caret, quam Jacobo impertitus fuerat, be-nedictionem, nec tamen invenerit, h.e. fusis il-lis precibus & operosis lacrymis consecutus fuerit.

Ex dictis illustratur locus, Hebr. IX. 12 ubi Christus dicitur εὐρόμενος αἰώνιαν λύτρωσιν. Quo Participio Apostolus innuit, quod hæc λύτρωσις sit judiciale obtentum, & redem-tio talis, quæ in rigoroso divino judicio e-victa est & comprobata; quodque eadem operosa sit & laboriosa, quæ continet in se ratiōnē ὁδίων τε Γαβάτης, Act. II. 24. conf. Hebr. V. 7. Esa. XLIII. 24. B. Dorsch. Comm. ad Hebr. p. 498. seq.

### LXV.

*Paulo frequens est, voces phrasesque, ex AGO-NISTICA veterum desumptas, adhibere.*

**I**ta loquitur de stadio, 1 Cor. IX. 24. Conf. Rom. IX. 16. ubi de currente sermo.

de



de πανοπλίᾳ Eph. VI. 12. seqq. i Thess.

V. 8.

de ἐγκέλειᾳ Athletarum, i. Cor.  
IX. 25.

de contusione, i. Cor. IX. 26.

de manibus remissis. Hebr. XII. 12

de præmio & brabæo, i Cor. IX. 24.

de corona, 2 Tim. IV. 8.

de subversione brabæi. Col. II. 15.

Vid. ex professo Jac. Lydii Agonist. S. Zutph.  
1700. 12. conf. Analecta Agonistica, quæ ad  
illustrationem locorum quorundam in Epi-  
stolis Pauli dedit Corn. Adami in Observatt. Theol.  
Philol. c. V. & Henr. Steph. Praef. in N. T.

Vult nimirum Apostolus docere hujus -  
modi formulis, quomodo Christianorum  
quilibet bonum stratiotam JEsuChristi age-  
re debeat, 2 Tim. II. 3.

## LXVI.

MORI PECCATO phrasis Paulina est, quæ di-  
versimode usurpatur.

I.

Sic idem est, ac valedicere & renunciare  
peccato. Rom. VI. 2.

2. Ita significat, expiare ac tollere pecca-  
tum, ubi Christus peccato mortuus dicitur.  
Rom. VI. 10.

3. Est, deficere à bono, & perire, Eph. II.  
1. s. conf. B. Balduin. ad h.l.

Kk 4

Ita-



Itaque phrasis hæc distincte omnino explicanda est.

### LXVII.

*SECUNDUM HOMINEM sive humanitus loqui se didicit Paulus, quando similitudinibus utitur.*

**S**ic Rom. VI. 19. 1 Cor. IX. 8. Gal. III. 15. conf. B. Glass. Philol. S. p. m. 1275.

Atque hinc explicari potest locus 1 Cor. XV 32. de Ἐγριωμαχίᾳ Pauli, ubi dicit, se Ephesi secundum hominem cum bestiis pugnasse, innuens hac formula, se figurare loqui. Si enim Ἐγριωμαχίᾳ Paulina proprie accipiatur, nimis palam Historia Romana coæva reclamaret, quæ civem Romanum negat bestiis objici potuisse; & martyrum patientia, qui bestiis objetti fuerunt, non cum iis concertarunt. vid. B. Dannhauer. in Hermen. S. p. 261. Conf. tamen inferius p.

### LXVIII.

*Apostolo perquam familiare est, ubi datis variis adhortationibus singularem quandam adhuc annectere vult, ut hac formula utatur:*

τὸ λοιπὸν.

### I.

**S**ic 2 Cor. XIII. cum adhuc necessariam admonitionem subjungere vult, ait v. 11. *Quod reliquum est, fratres, gaudete &c.*

2. Sic ubi Ephesios ultimò ad fortitudinem spiritualem vult excitare, addit Eph. VI. 10.

*Quod*



Quod reliquum est, Fratres mei, confortamini in  
Domino.

3. Sic Epistolam ad Philippenses salutari ad-  
hortatione obsignaturus, ait: Quod reliquum  
est, Fratres, quæ sunt vera, quæ honesta &c. Phil.IV.  
8. add: 1 Cor.VII.29. 2. Thess.III. 1. B. Carpz.  
Conc. Funeb. To.IV. p. 179. seq.

## LXIX.

Paulus, exaggerationis gratia sepe adhibet  
particulas: μᾶλλον, πόσῳ μᾶλλον,  
πόλλῳ μᾶλλον.

1.

Ita Rom.VIII. 34. ut ostendat, doctrinā de Res-  
urrectione Christi, esse unam ex præcipuis  
Christianæ Religionis, asserit: Christus est, qui  
mortuus, μᾶλλον, magis vero, qui ἐτι τοῦτο resurrexit.

2. Ita Hebr. IX. 13. 14. Si sanguis taurorum &  
hircorum, quanto magis, πόσῳ μᾶλλον, sanguis Christi &c. ubi summam infert præcellentiam, &  
hoc quidem loco, quia per interrogatio-  
nem format illationem, quasi dicat: Quis  
vel intellectu suo assequi potest, vel verbis  
effari, quantum excedat hic sanguis Christi?  
Nemo certe id potest, cum infinita sit distan-  
tia. Tantus enim est excessus, ut ceremo-  
nialia vix umbræ esse possint; exponente  
B. Seb. Schmidio Comm. ad Hebr. p. 1004.

3. Similiter & Hebr. X. 29. per interroga-  
tionem: Quanto, putatis, pejore dignus erit pa-  
na, qui &c.

Kk 5

4.Loca



4. Loca hujusmodi alia sunt: Rom. V. 9.  
10. 15. 17. c. XI. 12. 24. 2 Cor. III. 9. II. Hebr.  
XII. 9. 25.

## LXX.

*Paulinum est, mysteria divina verbis à̄γη̄μοι  
sive vim augendi habentibus, declarare.*

I.

**S**ic Rom. V. 20. ubi abundavit peccatum, ὑπερ-  
*επερίσσευσεν plusquam abundavit gratia.*

2. Sic Rom. VIII. 37. *In hoc ὑπερκέπει,  
supra quam vincimus.*

3. Sic 2. Thess. I. 3. *Fidem Thessalonicensium  
deprædicat, quod ὑπερέχει, magis magis-  
que crescit.*

4. Adde Phil. II. 9. Eph. I. 19. I Cor. IX. 14.  
c. III. 10. 2 Cor. IV. 17. I Tim. 14.

Sane nihil tam magnifice de mysteriis divi-  
nis prædicari potest, quin excellentia ejus &  
magnitudo id supereret. Confer supra de *styli*  
*Paulini vehementia.*

## LXXI.

*Paulinum est, unico exemplo aliquando effici-  
Apodixin universalem.*

I.

**S**ic exemplo Abrahami probat dogma de ju-  
stificatione, per solam fidem consequen-  
da. Rom. IV. 1. 2. 3. coll. v. 23. 24. Conf. B.  
Aeg. Hunn. Opp. T. I. fol. 605.

2. Sic



2. Sic *Abelis* exemplo demonstrat, opera nostra non nisi per fidem DEO placere. Hebr. XI. 4.

3. Sic suo ipsius exemplo demonstrat, atrocissimos peccatores veniam peccatorum nancisci posse. 1 Tim. I. 15. 16.

4. Sic, quod ad Josuam dictum est, Jos. I, 5. id omnibus piis accommodat Paulus, Hebr. XIII. 5.

Nimirum ubi exemplum aliquod dogmate & regula universaliter nititur, rectissime ab uno exemplo ad thesin universalem colligimus.

## LXXII.

*Paulus interdum absolute pronuntiat, quæ non nisi secundum quid intelligit.*

### I.

Sic 1 Cor. IX. 22. *omnibus factus sum omnia*, scil. per Evangelium, ut quosdam convertam.

2. Sic 1 Cor. XIII. 7. *Charitas omnia suffert*, scilicet de jure.

3. Sic 2 Cor. X. 23. *Omnia mihi licent*, scilicet quæ conducunt ac ædificant.

Umus Exegeticus est, ut sententias Pauli pro substrata materia explicemus.

## LXXIII.



### LXXIII.

*PARADOXA apud Paulum obvia sunt.*

#### I.

**S**ic 2 Cor. VI. 8.9.10. ut seductores, sed veri, ut  
ignoti, attamen agniti, ut morientes, & un  
vivimus &c. conf. &c. IV. 8.

2. Sic Paradoxon est, quando infirmitate la  
bore, tum potens sum. 2 Cor. XII. 10.

3. Sic B. Lutherus ad Gal. II. 20. velut para  
doxon notat, ac phrasin plane insolentem &  
inauditam, ubi Paulus ait: *Vivo, non vivo.  
Mortuus sum, non mortuus sum. Peccator sum, non  
sum peccator. Legem habeo, non habeo legem.* Si  
enim in causa justificationis discernis Perso  
nam Christi & tuam, es in lege, manes in  
ea, & in te, non in Christo vivis, quod est  
damnari à lege, & mortuum esse coram  
DEO.

Ita fides conciliat contradictoria.

### LXXIV.

*ANTITHESES apud Paulum frequenter  
occurrunt.*

#### I.

**I**ta solennis est Apostolo & per quam usita  
ta Antithesis, qua legem & promisionem,  
similiter opera legis & fidem, nec non gra  
tiam & opera, gratiam item & mercedem  
inter se contendit, & in actu justificationis  
sic distinguitur, & αντιδιηγημένως opponit, ut  
si



si justitia dicatur esse ex lege , protinus inferat , non esse ex promissione ; si ex operibus legis , tum non per fidem Jesu Christi : Si per gratiam , tum non ex operibus , Rom . XI . Eph . II . Rursum , si sit gratia , jam non esse mercedem . Rom . IV . Si sit donum DEI , tum non esse stipendum B . O . Rom . VI . conf . Gal . III . B . Ag . Hunn . Opp . Tom . IV . f . 420 . Ubi simul notes observationem Melanchthonis : " Hanc sibi laudem proprie vindicat Paulus , quod gratiae originem ac propagationem , adeoque peccati & Legis vim , excusit , quos potissimum locos ab eo requires . " Tom . I . De clamatt . p . m . 17 .

2. Ita Paulus delectatur Antithesi , inter primum & secundum Adamum , ubi ille peccatum introduxit , hic peccatum expiandum in se suscepit . Rom . V . 12 . &c . 1 Cor . XV . 21 . 22 . 45 . Hæc summa est Religionis Christianæ , per unum sub peccatum venundati sumus , per alterum à peccato redenti .

3. Sic & frequens apud Paulum est antithesis inter carnem & spiritum , Rom . VIII . 4 . sqq . Gal . III . 3 . c . V . 16 . &c . ubi per carnem humanæ naturæ corruptio , per spiritum autem regeneration , per Spiritum sanctum facta , intelligitur .

4. Ut & eodem sensu inter hominem exteriorum , & internum , 2 Cor . IV . 16 . veterem & novum , Eph . IV . 22 . 23 . 24 . Col . III . 9 . 10 . discernit . Nimirum in renatis Scriptura duos



duos homines nominat ac describit non substantia differentes , sed qualitatibus distinctos. Ubi homo vetus sive exterior significat naturam hominis , quatenus nondum est plene renovata, sed adhuc retinet congenitas ex Adamo fardes peccati : novus autem homo sive interior dicitur eadem hominis natura , quatenus est renovata per Spiritum sanctum , accensa in mente nova agnitionis luce , novis sanctisque cupiditatibus ac motionibus excitatis in voluntate. vid. B. Rung. Dispp. in Epp. Pauli ad Rom. & Corinth. p. 691. seq.

5. Similiter legem literæ , & legem fidei , Rom. III. 27. aut *Spiritus* , Rom. VIII. 2. add. Gal. II. 19. item literam & spiritum , 2 Cor. III. 6. inter se opponit. Manifeste , ait B. *Lutherus* , duplum legem tangit , una est spiritus & fidei , qua vivitur DEO , viatis peccatis , impleta que lege : altera lex literæ & operum , qua vivitur peccato , nunquam impleta lege , sed simulata impletione. Per Legem enim suscitatur odium legis , sed per fidem infunditur dilectio legis &c. vide locum prolixum apud B. *Dannhauer*. *Hodos*. p. 494. &c. edit. recent: Id: *Lutherus noster Comm.* ad Gal. II. ait: Est hæc suavissima phrasis & consolacionis plenissima , cum in Scripturis , præcipue in *Paulo* , opponitur Lex Legi , peccatum peccato , mors morti , captivitas captivitati , diabolus diabolo , infernus inferno , altare



tare altari, agnus agno, pascha paschati &c.  
Rom. VIII. de peccato damnavit peccatum &c. Eph.  
IV. captivam duxit captivitatem, i Cor. XV.  
Hos. XIII. Mors, ero mors tua, sic hic dicit, se per  
legem mortuum legi, q. d. Lex Mosi accusat &  
damnat me, contra illam legem accusatri-  
cem & damnatricem habeo aliam legem,  
quæ est gratia & libertas &c.

6. Item Antithesin amat inter tenebras &  
lucem. vide supra, Enth. XX. ut & inter spiri-  
tum servitutis atque adoptionis, Rom. VIII. 15.

## LXXV.

*Modus loquendi per ἀνανίωσιν sive κοινωνίαν,*  
*Paulo Apostolo per quam familiaris est.*

### I.

Sic Gal. III. 23. s. c. IV. 3. est κοινωνίας,  
qua Paulus, ob indivisam communio-  
nem mysticam Ecclesiae ante & post adven-  
tum Christi, haud aliter loquitur ac si ipse  
quoque, imo & ceteri Christiani, olim fue-  
rint sub lege conclusi, conf. c. V. 25. 26. quem-  
admodum & Petrus, conversis Gentilibus  
scribens & à pristinis flagitiis, quibus sub  
Gentilismo fuerint dediti, ad vitæ sancti-  
moniam illos revocans, sermonem ita con-  
format, ac si ipse quoque olim sub Ethnici-  
smo vixerit, & in iisdem hæserit flagitiis i Pet.  
IV. 3. notante B. Eg. Hunnio, Opp. Tom. IV.  
f. 417. b. seq. a.

2. Sic



2. Sic Eph. II. 1. 2. 3. quod de *Ephesius* dixerat, fuisse illos quandoque satanæ mancipia; id quia odiosum aliquo modo videri poterat, D. *Paulus κοινωποιός* sive communicationis schemate emollit, id ipsum in suam quoque personam conferens, imo in universam gentem suam: docens perspicue, nihilo meliores esse Judæos Ethnicis, si communem perversitatem naturæ spectet. *Idem* f. 528. a. conf. I Cor. XI. 31.

3. Sic illustre & plane singulare ejusmodi *κοινωποίας* exemplum habetur I Thess. IV. 17. *Nos, qui vivemus, non præveniemus eos, qui dormiunt.* Ubi ita format orationem, ac si ipse quoque superstes futurus sit in novissimo die. Sed fit istud per communicationis figuram, idque propter unitatem mysticam, quæ est omnium Christianorum inter se, propter quam id, quod uni evenit membro, ad reliqua etiam suo modo pertinere judicatur. *Idem*, f. 717. conf. I Cor. XV. 51. Hinc male adeo *Grotius* infert, Apostolos finem mundi quasi de proximo expectasse, quod est contra 2 Thess. II. 2. 3. 2 Pet. I. 15. III. 9. conf. B. *Dannh. Herm. S. p. 281. & B. Quistorp. Comm. in I. Thess. p. 43.*

4. Hinc Paulus ipse I Cor. IV. 6. asseverat, se per μελαχηματισμὸν sibi ipsi interdum aliquid tribuere propter Ecclesiam. Cave autem per similem metaschematismum intellexeris locum Rom. VII. quasi Paulus de se,

sub



dixi;  
cipia;  
pote-  
nica-  
uam  
uni-  
e, ni-  
om-  
Idem  
nodi  
V.17  
dor.  
ipse  
imo  
is fi-  
am,  
sese,  
bro,  
udi-  
si.  
olos  
sse,  
15.  
Qui-  
rat,  
n a-  
au-  
tel-  
se,  
sub

sub peccatum venundato, non αὐτορροσώπως,  
sed tantum μημηλῶς loquatur. vid. fusius B.  
Dannh. l.c.

## LXXVI.

Mos Apostoli Pauli est, statum præteritum ac  
præsentem inter se conjungere.

### I.

Sic i Cor. VI. 10. 11. *Et tales nonnulli fuistis:*  
*sed abluti estis, sed sanctificati estis &c.*

2. Sic i Cor. XII. 2. 3. admonet, quod  
olim ad idola muta abierint, nunc vero JESUM in  
Spiritu sancto Dominum vocare possint.

3. Sic Gal. IV. 3. 4. *Nos, cum essemus infantes,*  
*eramus sub elementa mundi captivati: Ubi autem*  
*venit plenitudo temporis &c.*

4. Similiter Ephesii in memoriam revocat,  
quod fuerint olim sine Christo, alienati à Poli-  
tia Israëlis &c. nunc vero in Christo, & qui ali-  
quando procul, jam prope facti fuerint in sangu-  
ne Christi. Eph. II. 12. 13. conf. v. 5.

5. Et Eph. V. 8. felicitatem eorum hoc mo-  
do deprædicat: *Eratis aliquando tenebræ, nunc*  
*vero lux in Domino. conf. huc. I. Pet. II. 9. 10. 25.*

Monemur, eos, qui ex laqueis diaboli re-  
siperunt, non debere suæ ante conver-  
sionem miseriæ oblivisci, ut recordatione  
pristini status se coram DEO humiliare di-  
scant: deinde, ut pro conversionis immen-  
so beneficio pia vota laudis & gratiarum  
actionis solvant Domino: Tertio, ut exci-

L. I. ten.



tentur ad vivendum porro digne DEO &  
Evangelio ipsius.

LXXVII.

*Historiarum atque Antiquitatum profanarum  
notitia in scriptis Paulinis interpretandis  
perquam necessaria est.*

I.

Sic i Cor. IX. 24-27. ex antiqua Historia explicandum est. Namque continetur ibi universa Veterum Agonistica, & certamina Athletica, de quibus scripsit Petr. Faber. Quemadmodum & Eph. VI. 13. sqq. describitur πανθεῖα Christiana, eodem prorsus modo, quo apud Homerum armantur, cum in duellum congrederentur Menelaus & Pares, Iliad. III, v. 336. quasi hæc omnia essent expressa ex Homero. Vnde apparet, Paulum fuisse peritum Historiæ secularis, & Autorum profanorum. Conf. supra p. 496.

2. Ita i Cor. IX. 9. allegoria petitur ex ritibus & antiquo more. Ut enim sensus melius constet, ritus Veterum respiciendus est in triturandis frumentis, in quo negotio equis & bovis utebantur: & qui erant avariores atque ad rem attentiores, alligabant animalis ori capistrum, ne posset inter tritendum carpere fruges. De ipsis avaris legi potest Cato de Rerustica, c. 54. & conf. proverbium:



bium: βῆς ἐπὶ σωρῷ, bos super acervum, in  
Adag. Erasmi. Add. Aelian. L.IV. Histor. Anim.  
c. 24. Hoc sāne iniquum erat, idemque jam  
applicatur ab Apostolo.

3. Ita disquiritur de verbis, 1. Cor. XV.  
32. Num θηριομαχία sit proprie, an tropice  
intelligenda? Nam θηριομαχεῖν dicuntur &  
illi, qui cum hominibus feris litigant & con-  
tendunt, quique sunt instar bestiarum. Qui  
sensum Metaphor: amplectuntur, urgent  
privilegia Civium Romanorum, qualis e-  
tiam Paulus, qui non debebant servili hu-  
jusmodi suppicio affici. Et hæc est senten-  
tia B. Dannhaueri in Hermen. S. p. 261. Sed  
hæc ratio nondum urgens est, quia His-  
toria aliud ostendit, atque hoc supplicium fre-  
quentari cœpit sub Imperatoribus Romanis,  
sub quibus peccabatur quotidie contra Le-  
ges, civibus Rom. antea lata. Leg. Claudi &  
Neronis vita apud Sveton. & Cassium. Nam Cali-  
gula etiam honestissimos viros ad bestias  
damnavit.

4. Ita Phil. II. 17. elegans occurrit exem-  
plum, pertinens ad historiam & antiquos  
ritus. In Græco habetur verbum σπένδωμαι,  
*libor*. Hic respiciendum ad ritus in Sacrifi-  
ciis, tum apud Judæos, tum apud Gentiles,  
usurpatos. Videtur enim Paulus ad utrosque  
respexisse. De Hebræis vid. Num. XV. 5.  
& XXV. 7. ubi libamen constabat effusione

L 1 2 vini:



vini: Gentiles libamina sua diis offerebant sanguine humano , quod vero DEO erat execrabile, conf. Ps. XVI. 4. Iusui enim erat, ut hostiis affunderent sanguinem humanum. Quando igitur Paulus ait: *Ego libor super hostia &c.* instituit quandam comparationem, dum fidem & pietatem Philippensem comparat cum hostia, & suum sanguinem, per martyrium effusum, cum libamine, per quod libamen fides Philippensem tanquam hostia perficiebatur & absolvebatur, quando confirmabat illo martyrio suos auditores. Verbum idem repetit 2. Tim. IV. 6. quæ Epistola ab omnibus eruditis habetur pro ultima , quam scripsit Paulus, cum ejus vitæ finis instaret, quem & hic denuntiat. Quæ ita inter se comparata facile declarant præsentem locum, quod instet vitæ ejus finis, & quod ipse violenter sit moriturus , & fusurus sanguinem suum per martyrium pro causa fidei Christianæ , quo ipso Auditores suos sit confirmaturus. Pluribus hoc dictum executus est ex antiquitate Tho. Gatakerus in Cinno, p. 218. Hæc B. Stolbergius in Colleg. Hermen. MSto.

5. Similiter ex Historia suppetit Col. III. ii. de controversa maxime Barbari & Scythæ oppositione, ex Historia philologice indicanda. Initio solus religionis respectus ἐλληνα contra Judæum ponit. Circumcisio vero & præputium à priori hoc distinguitur , ut suam



suam habeat peculiarem Χέστην, sicut & cetera. Non enim omnis Gentilis habebat præputium, nec soli circumcidebantur Ju-dæi: Ægyptios enim, Æthiopas & Colchos circumcidisse præputia, Herodotus testatur. Maxima vero hic superest difficultas, quo iure, & quo respectu hic Barbaro opponatur Scytha? Verum, si Historicos conferamus, res illico plana erit. Hi enim Scythas cultus, morum & ingeniorum ratione è Barbaris eximunt. Vid. Herodot. in Melpom, Ju-fin. L. II. Augustin. de Civit. DEI, L. VIII. c. 9. & Salmas. Osfileg. p. 369. Id. B. Stolberg. in Disp. Quid in recessu habeat Philologia, anno 1674. Wittebergæ habita.

## LXXVII.

Vocula πᾶς, OMNIS, Apostolo in opere salutis frequentata, non de omnis generis homi-nibus; sed de singulis, accipienda est.

## Prob.

1.

Ita Rom. XI. 32. omnes & singulos omnino homines intelligi, constat a) quia Apo-stolus loquitur de omnibus illis, quos Deus per Scripturam legis conclusit sub peccatum, & quos propter peccatum reos esse at. da-mnationis, arguit. Atqui hoc de omnibus &

L1 3 singu-



singulis hominibus, nemine excepto, affirmandum, coll. Rom. III, & V. b) ab absurdo idem colligitur. Quod si enim dictum hoc agat tantum de Electis, ut volunt Calviniani, sequeretur, solos tantum Electos esse peccatores. Conf. B. Feurborn. Opp. p. 1065. sq. B. Meisner. in Anthropolog. Dec. II. p. m. 66.

2. Ita 2 Cor. V. 15. dicitur, *quod unus pro omnibus mortuus* sit. Si jam quæras, quinam per omnes intelligantur? Responsio suppetit ex v. 10. illos nempe innui, qui olim coram tribunali Christi manifestandi, i.e. omnes sine exceptione homines.

3. Sic & 1 Tim. II. 4. 6. Ubi in toto contextu sermo est de iis omnibus, pro quibus Paulus vult orari. Quo sensu ergo v. 1. sumitur vox *omnes*, in eo sensu etiam debet sumi v. 4 & 6. In poster. enim versiculis redditur ratio, cur pro omnibus debeamus orare, nempe quia Deus vult omnes salvos fieri Vid. B. Taufrer. in Dispp. de Absol. Decreto, p. 107. sqq. ex edit. B. D. Löfcheri: & B. Feurborn. Opp. Theol. p. 185. sq. 1193. sqq. Confer 1 Tim. IV. 10.

4. Similiter Tit. II. 11. ubi 1) habetur argumenti Pædeutico - Epanorthotici ratio, quia gratia illuxit omnibus hominibus. Jam vero non solos Electos, sed promiscue omnes homines, etiam reprobos, hortatur Apostolus. Ergo etiam ad hos pertinet argumentum hoc, à gratia DEI illucescente desumptum.



tum. 2) τὸ illuxisse oppositas simul innuit tenebras. Arguo: Qui fuerunt in tenebris, illis illuxit gratia. Atqui non solum electi, sed promiscue omnes & singuli homines fuerunt in tenebris. Ergo.

5. Nec aliter Hebr. II. 9. accipiendum, ubi Christus pro omnibus mortem gustasse dicitur. Et v. 15. specialius describuntur illi, pro quibus Christus mortem gustavit, eosque redemit, qui nempe perpetuae servitutis rei erant, i.e. uno verbo, peccatores. Vindicias loci hujus adversus Calvinio-Reformatos reperi-  
es apud B. Ittig. in Opusc. p. 116-128.

Denique notari potest Regula, in Exegesi horum locorum egregium plane usum habens, quam subministrat Flacius in Clave Script. S. ad voc. *Omnis*, ubi ita: *Omnis in con- cionibus Legalibus & promissionibus Evangelicis omni- no debet universaliter accipi.*

### LXXIX.

DICO VERO, est formula, Paulo usitata, quo-  
ties, quod dixerat, uberior declarat  
incolcatque.

Prob.

#### I.

Sic Rom. XV. 8. incipit dilucidare, quod Christus homines, tam è Judæis, quam è Gentilibus, suscepit in gratiam, h. m.  
DICO VERO J. C. Ministrum circumcisionis fa-  
ctum, &c.

L 1 4

2. Sic



2. Sic Gal. IV. 1. de minorenitate fideli-  
um V. 1. pergens: *DICO VERO*, quamdiu  
*haeres infans est s.* Conf. Gal. V. 16. Eph. V. 32.

3. Dilucidius alibi sic effert: *Dico vero hoc,*  
ut: 1 Cor. I. 12. Gal. III. 17. Col. II. 4.

### LXXX.

*Frequens hæc est Pauli admonitio, qua omnia  
PROBARE jubet.*

Prob.

I.

Sic Rom. XII. 2. vult, probare Romanos, qua-  
nam DEI voluntas sit bona, placens & perfecta.  
2. Sic Eph. V. 10. PROBANTES, quid sit ac-  
ceptum Domino.

3. Sic Phil. I. 10. vult, ipsos PROBARE pra-  
stantia, quæ differunt à vilibus: ad discretio-  
nem boni & mali.

4. Sic 1 Thess. V. 21. *Omnia PROBATE,*  
quod bonum est, retinete. *Quemadmodum &*  
*Phil. IV. 8.* velut in fascem & summam colli-  
git ea simul omnia, quæ probanda atque de-  
ligenda monet:

### LXXXI.

*Solenne hoc est Apostolo, ut in omnibus fere Epi-  
stolis, se DEI VOLUNTATE VOCATUM,  
asserat.*

Explicatio.

**I**dque non solum ideo fecit, ut divinam  
hinc suis scriptis autoritatem conciliet;  
sed



sed & propterea quoque eum fecisse verisimile est , ut tum seipsum stimularet ad officium suum strenue obeundum , non enim potest non fideliter , quæ sibi commissa sunt , exequi , qui recordatur , Deum velle , ut id , quod ipsi injunxit , agat : tum ut omnibus Ecclesiæ Ministris exemplum præberet , qui & ipfi , sibi DEI voluntate docendi partes commissas , easque fideliter obeundas esse , recordentur . B. Quistorp . Comm. in poster. ad Timoth. p. 161.

## LXXXII.

*Distinctæ apud Apostolum phrases sunt : Vivere  
in carne : Esse carnalem : In carne esse,  
aut secundum eam ambulare.*

## Prob.

## I.

Ita Apostolus de seipso : *Quod nunc VIVO IN CARNE* , in fide vivo Filii DEI , Gal. II. 20. conf. Phil. I. 22. Ubi in carne vivere significat , in humanis agere .

2. Ita Apostolus , se carnalem esse , asserit , Rom. VII. 14. Conf. I Cor. III. 1. Ubi not. quod carnis sit a. *ex toto* , qui peccato servit , eique plane mancipatus est . b. *ex parte* , qui peccati vim quidem sentit , etiamen non obtemperat , sed reluctatur . Posteriori sensu Apostoli sermo accipiendus . Atque hanc quidem differentiam ipse nobis monstrat , 2.

LI 5

Cor.



Cor. X. 3. ubi utrumque conjungit, & ait;  
*In carne ambulantes, non secundum carnem militamus.* B. Weller. in Ep. ad Rom. p. 432.

3. Ita *in carne esse*, Rom. VII. 5. VIII. 5. 8. &c. est, esse in operibus carnis, & juxta affectus carnis vivere. Vid. Bart. Westhemeri libr. Troporum, col. 365. sq. Conf. de phrasl, secundum carnem ambulare, Enth. sequens, n. 2.)

### LXXXIII.

*Particula καὶ σάρκα vario sensu in scriptis Paulinis adhibetur.*

#### Prob.

##### I.

**I**ta sunt Domini SECUNDUM CARNEM, Eph. VI. 5. Col. III. 22. i. e. quoad res externas, & quæ corporea attinent. Et 2 Cor. V. 16. Apostolus ait, *Christum secundum carnem se non nosse*, i. e. se non gloriari de Christo ex carna- li quodam judicio aut affectu, propterea scilicet, quod sit ipsius consanguineus: & si omnino aliquando istas carnis prærogatiwas in Christo attendisset, non se tamen eas amplius attendere, sed potius eò respicere, ut in Christo possit fieri nova creatura, depositis carnalibus affectibus. Prouti explicat B. Dorscheus, Comm. posthumo in Epist. ad Hebr. p. 132.

2. Ita SECUNDUM CARNEM ambulare, militari Rom. VIII. 4. 2 Cor. X. 2. 3. sapientes SECUNDUM CAR-



CARNEM, 1 Cor. I. 26. SECUNDUM CARNEM  
deliberare, 2 Cor. I. 17. semper vitiositatem  
naturæ involvit, & originis vitiosæ qualita-  
tem, quam sequimur, exprimit.

3. Ita Christus dicitur genitus ex semine Da-  
vidis SECUNDUM CARNEM, Rom. I. 3. Esse ex  
Patribus, τὸν ἀπὸ σάρκα, c. IX. 5. Ubi ortus se-  
cundum H. N. intelligitur, divinæque origini  
opponitur. Vid. B. Jac. Weller. Annot. in Ep.  
ad Rom. p. 20. 21.

#### LXXXIV.

D. Paulus frequenter usurpat αὐτοῦ πορείαν;  
qua tacitis occurrit objectionibus.

##### I.

Sic Rom. I. 18. cum dixisset: Revelatur ira DEI  
de cælo super omnem impietatem & injustitiam  
hominum, veritatem in injustitia detinentium; &  
vidisset, sibi objici posse: Unde vero gen-  
tiles veritatem DEI cognoverunt? subinfert,  
v. 19. de notitia DEI insita: Quia notitia DEI  
manifesta est in ipsis.

2. Sic Rom. VIII. 16. 17. dixerat, Roma-  
nos esse DEI filios, & vitæ æterne hæredes. Po-  
tuissent autem illi objicere: Tu quidem scri-  
bis, nos esse filios DEI & hæredes ejus; nos  
vero nihil aliud videmus & experimur nisi va-  
rias afflictiones, pericula, atque ipsam mor-  
tem. Hinc sequitur Occupatio, qua objectio-  
nem eorum anteyertit: Siquidem simul cum eo  
patimur &c v. 18.

3. Sic



3. Sic 2 Tim. II. 19. Ubi solatio contra scandala seductorū objici potuisset: Cur vero Deus scandala ista non præcavit? An non defectus iste multorum à fide Gloriam ejus imminuit? Tacitæ huic objectioni Paulus occurrit v. 20. In magna domo non solum sunt vasa aurea & argentea s. conf. I Cor. I. 8. & B. Hunn.

## LXXXV.

*PARONOMASIA in scriptis Paulinis  
frequens est.*

## I.

Sic Rom. I. 31. ponit ἀσυνέτεξ, ἀσυνθέτεξ,  
c. III. 26. vocum δικαιον καὶ δικαιοῦντα elegans paronomasia est. Et c. XII. 3. jucunda vocum allusio occurrit: ὑπερφρονεῖν, Φρονεῖν, & σωφρονεῖν. Quid vero in tota Latinitate est, quo vel adumbrari hæc elegantia possit? quærerit Henr. Stephanus, præfat. in. N.T.

2. Sic 2. Cor. IV. 8. ἀπορόμενοι, sed non ἐξαπορόμενοι.

3. Sic & Phil. III. 3. sermonem suum condidit hoc sale gratiæ, quando καταλομῆν in morem Paronomasiæ opponit τῇ περιομῆ.

4. Similiter Hebr. V. 8. Christus ἔμαθεν, αἴ φῶν ἔπαθε. conf. & Act. VIII. 30. ἀράγε γνώσκεις, αἱ ἀναγνώσκεις; Vid. Alex: Morus in Notis ad loca Novi Fœderis, p. 173. ex Edit Dn. D. Fabricii, & adde 2. Thess. III. 11. Nihil agentes; sed inaniter satagentes.

5. Quo & referas, quod Paulus I Cor. XI.



31. 32. delectatus fuit paronomasia verborum forensium, κρίνειν, δικαιρίνειν & ναζακρίνεσθαι. Ubi per verbum κρίνεσθαι intelligit poenas temporarias, quia mox per τωδευεθαι illud interpretatur. Κατακρίνεθαι complectitur ultimas & æternas poenas damnatorum. δικαιρίνειν h. l. notat, excussa securitate in naturam & vitam suam inquirere. B. Chemnitius noster, in *Exam. Concil. Trident.* fol. m. 401. a.

### LXXXVI.

Paulus sæpe effectum rei tribuit, qui tam  
en illi non per se, sed per occasio-  
nem saltem convenit.

#### I.

Ita lex iram OPERARI dicitur, Rom. IV. 15. Quod legi competit non perse, sed per accidens. Sicut & 2 Cor. IV. 17. Afflictio temporaia æternum gloriæ pondus κατεργάζεθαι, operari dicitur, ubi hoc verbum de nudo antecedente & occasione accipias, necesse est. conf. Rom. V. 3. Afflictio κατεργάζεται operatur patientiam.

2. Ita Apostolus c. VII. 11. ait: Peccatum, occasione accepta, seduxit me, & occidit.

3. Ita 2. Cor. II. 16. Evangelium dicitur impiis esse odor mortis, ad mortem, i. e. per accidens ipsis cedere ad æternam damnationem. Conf. B. Höpfner. de Justificat. p. 104.

### LXXXVII.



LXXXVII.

Distinguit Apostolus inter Regnum Christi  
& Patris.

Prob.

I.

Ita impios dicit Regnum DEI non hereditatu-  
ros. 1 Cor. VI. 9. & 10.

2. Ita 1 Cor. XV. 24. Christus Regnum SUUM  
dcitur traditurus Patri.

3. Ita Eph. V. 5. expresse distinguit inter  
Regnum CHRISTI ET DEI.

Intelligitur autem per Regnum Christi status  
Ecclesiæ militantis; per Regnum DEI & Patris  
status Ecclesiæ triumphantis. Adeoque u-  
num ab altero non reipsa, sed modo saltem  
differt. Vid. B. Waltherum in Harmön. Bibl. p.m.  
**1182.**

LXXXIX.

Formula jurandi, Paulo usitata est: TE-  
STIS EST MIHI DEUS.

§. I.

Sic Phil. I. 8. 1 Thess. II. 5. Et 2 Cor. I. 23. ait:  
Testem invoco DEum super animam meam.

§. 2. Ita licitum est, rem seriam interdum  
confirmare juramento. B. Bald. Comm. in  
Epp. Pauli, f. 1132. b.

LXXXIX.



## LXXXIX.

*Particula ē apud Paulum s̄epius nota  
causæ impellentis & meritoriae est.*

Prob.

### I.

*Ita dicimur justificari per redēmptionem, quæ est IN  
Christo JEsu, Rom. III. 24.*

2. Ita poculum cœnale est novum Testamen-  
tum in *Sanguine Christi* 1 Cor. XI. 25. sensus :  
Hoc poculum, juxta Christi institutum à  
nobis haustum, est N. T. per & propter san-  
guinem Christi. Per bibitionem enim ex  
poco benedicto, N. T. effuso Christi san-  
guine in cruce stabilitum, ex parte nostra  
confirmatur atque ob-signatur. Vide phrasin  
hanc percommode explicantem B. Mentze-  
rum To. III. Giffensi, Disp. VI. §. 89. seqq.

3. Ita Paulus afferit, 2Cor. V. 21. quod *Chri-  
stus pro nobis peccatum factus*, sacrificium expia-  
torium pro peccato, *ut nos redderemur justitia  
DEI IN ipso*; En! causam meritoriam.

4. Ita dicimur electi *IN Christo*, ante iactæ  
mundi fundamenta, Eph. I. 4. 2 Tim. I. 9. Quo  
ipso Apostolus Christum, ut causam Electio-  
nis nostræ meritoriam diserte celebrat. Ad-  
de loca: Eph. I. 6. II. 10. V. 8.

XC.



## XC.

Tā ἀνω apud Paulum sumuntur non τοιωτω̄ς  
aut corporaliter; sed εἰχικω̄ς &  
spiritualiter.

Prob.

## I.

**I**ta r̄ā ἀνω, quæ querenda, quæ curanda, Col.  
III. 1. 2. vocat ea, quæ sunt sancta & pre-  
tiosa, & ad vitam supernam, gloriosam &  
cœlestem directa, etiamsi in terris habeantur,  
qualia sunt, quæ v. 10. seqq. adducit  
Apostolus. Idque pater ex *oppositione*, ubi per  
τā ἐπὶ τῆς γῆς, intelligit non simpliciter, quæ  
in terra sunt: alioquin nec sacramenta, quæ  
in terris administrantur, nec verbi prædica-  
rio, quæ in terris fit, nec Charismata Spiritus  
S. quæ per Verbum & Sacra menta conferun-  
tur, imo nec Regnum ipsum gratiæ, quod  
in terris atque inter nos est, Luc. XVII. 21.  
querenda à nobis, aut curanda essent; sed  
ea, quæ in terra sunt, nominat fornicationem,  
impunitatem s. v. 5. 8. 9. Adeoque terrestria  
& superna h. l. inter se opponuntur, non  
quoad differentiam loci, sed quoad differen-  
tiā dignitatis & turpitudinis.

2. Ita l.c. Christus dicitur esse *IN SUPER-*  
*NIS*, *ad Dextram DEI sedens*. Hanc vero  
non esse locum in supernis, inde patet, quia  
fuit ab æterno, cum locus adhuc nullus esset:

&amp;

& manebit in æternum, quando locus nul-  
us erit. Ac proinde illud ἀνω non locum  
aliquem supernum designat; sed indicat po-  
nens τὸ ἀνω Majestatis, ut Joh. III. 3. XIX. 11.  
Jac. I. 17. accipitur.

3. Eodem sensu Ecclesia, in his terris mili-  
tans, dicitur ἀνω, sursum existens, Gal. IV. 26.  
non ratione loci, sed originis, fatente Paræo.

4. Similiter τῆς ἀνω πλησεως, SUPERNAE  
vocationis DEI in C. J. meminit Apostolus, Phil.  
III. 14. Vid. B. Rappolt. Opp. Theol. To. I. pag.  
755. sq. & conf. de phrasi opposita, επὶ τῆς  
γῆς, B. Dorsch. Comm. in IV. Evang. p. 677.

### XCI.

Maximos fidei Articulos per occasionem incul-  
cat Apostolus.

#### I.

Ita 1 Cor. X. & XI. cum idolothitorum eſus  
prohiberetur, digressio fit in Articulum  
de Cœna Dominica, qui diligenter ibi pertra-  
statur.

2. Ita occasione falsi dogmatis, resurre-  
ctionem, in Scripturis notatam, jam esse  
factam, Apostolus de hoc arduo doctrinæ  
Christianæ capite ex professo differit. 1 Cor.  
XV.

3. Similiter 1 Thess. IV. 13. luctum ex-  
pellens Paulus, agit de futura resurrectione.

Ult intelligamus ita, quam utilis sit doctri-  
na cœlestis!

Mm

XCII.



XCII.

*Titulus divinus, ubi DEUS dicitur DEUS PACIS, solum à Paulo usurpatur.*

**L**oca occurunt Rom. XV. 33. c. XVI. 20.  
1 Thess. V. 23. 2 Thess. III. 16. Hebr.  
XIII. 20.

Scilicet Paulus in Epistolis suis pacem cum  
DEO sæpe deprædicat, adeoque eam à DEO  
ipso originem ducere, monstrat.

XCIII.

*Paulus raro Patris meminit, sine mentio-  
ne Filii.*

**O**bservatio hæc Megalandri est: Paulus fre-  
quenter solet conjungere Jesum Chri-  
stum cum Deo Patre, ut scilicet nos doceat  
Christianam religionem, quæ incipit non à  
summo, ut omnes aliæ religiones, sed ab  
imo. Jubet nos adscendere per scalam Ja-  
cob, cui Deus ipse innititur, cujus pedes  
tangunt ipsam terram, juxta caput Jacob.  
Paulus optando gratiam & pacem, non à Pa-  
tre solum, sed etiam à JESU Christo, hoc  
docet, ut abstineamus à speculatione divini-  
tatis: Nemo enim Deum novit, sed ut Chri-  
stum audiamus, qui est in sinu Patris, & reve-  
lat nobis ipsius voluntatem. To. IV. Jen. Lat.  
f. 12. Conf. supra Ench. XIII.

XCIV.



XCIV.

Apud Paulum πλεῖτο respectu Attributorum  
divinorum celebratur.

I.

Ita Rom. II. 4. πλεῖτον bonitatis, & tole-  
rantiæ, & longanimitatis divinæ depræ-  
dicat.

2. Ita Rom. XI. 33. πλεῖτον sapientiæ & co-  
gnitionis divinæ admiratur.

3. Ita Eph. II. 7. excellentem πλεῖτον gra-  
tiæ divinæ in Christo afferit. adde c. I. 7.

Hoc ipso scilicet inexhaustam horum attri-  
butorum in Deo abundantiam nobis ante  
oculos sistit Apostolus.

XCV.

Paulus de charitate DEI ut plurimum in sensu  
PASSIVO loquitur, qua nos à DEO  
diligimur.

I.

Sic Rom. VIII. 39. asseverat, nihil nos separa-  
re posse ab amore DEI, qui est in Christo JESU,  
Domino nostro: ubi non loquitur de dilectione,  
qua nos Deum diligimus, nec vult, ut in  
calamitatibus eam intueamur, quæ admo-  
dum est imperfecta, languida & lubrica;  
sed de dilectione, qua ipse dilexit nos, coll.

V. 37.

Mm 2

2. Sic



2. Sic 2 Cor. XIII. 13. appreccatur suis charitatem DEI, qua ipsos complectatur. add. Rom. V. 5.

3. Sic Ephesios optat in charitate radicatos atque fundatos, Eph. III. 18. ubi itidem de charitate DEI, qua dilexit nos Deus, non qua diligimus nos Deum, sermo est, quia DEI dilectio fundamentum & radix est vita & salutis nostrae, Joh. III. 16. 1 Joh. III. 16. c. IV. 10. ideo in Christo edificati dicuntur & firmati in fide, Col. II. 7. Petit igitur Apostolus, ut radicemur & fundemur in charitate DEI, ut magis magisque eam experiamur, ac de ea certiores reddamur. Nostra dilectio hic intelligi nequit: haec enim non est fundamentum & radix salutis nostrae, sed est fructus fidei salvifica & justitiae: at fructibus male tribuitur nomen radicis & fundamenti. Ita locum hunc vindicat B. Calov. ad Matth. VII. To. I. Bibl. Illustr. N. T. f. 248. a.

4. Haec observatio, verba Megalandri sunt, admodum necessaria est in Sacris literis, quando vocabula *active*, quando *passive* sumenda sint, quia totus sermo mutatur secundum activam, aut passivam significacionem, ut Rom. III. Omnes peccaverunt, & egent Gloria DEI. Sic justitia DEI. Secundum Latinam Grammaticam & Græcam justitia DEI intelligitur, qua ipse justus est. Sed haec expeditio obscura est, & infert caliginem universo Textui Scripturæ sanctæ. Sin passivè accipi-



cipitur, tum est salus & consolatio nostra, significat enim justitiam DEI, qua ego justificor divina misericordia. Olim ego, cum legendum & orandum esset illud Psalmi: In justitia tua libera me, totus exhorrescebam, & ex toto corde vocem illam oderam: Ne me liberes, cogitabam, tua justitia, qua tu justus es, active. Passive igitur accipienda est justitia, qua ego justificor &c. Comm: in Genes. To. IV. fol. 101. a. confer To. III. f. 67. b.

### XCVI.

*Paulus à VOLUNTATE DIVINA argumenta ducit pædevtica.*

#### I.

Ita in genere monet, ut probemus, quæ sit voluntas DEI bona. Rom. XII. 2.

2. Ita sigillatim ad sanctificationem atque castitatem adhortatur, hoc usus argumento, quod hæc sit voluntas DEI. 1 Thess. IV. 3.

3. Similiter gratiarum actionem poscit in omnibus, quia hæc sit voluntas DEI in Christo IESU. 1 Thess. V. 18.

Sancte itaque vivendum nobis est, ni voluntati ipsius DEI palam obluctari velimus.

### XCVII.

*Paulus à FIDELITATE DEI sepe argumenta desumit consolatoria.*

Mm 3

I. Sic



I.

**S**ic i Cor. I. 8. 9. *DEus confirmabit vos usque ad finem: FIDELIS est DEus, per quem vocati estis.*

2. Sic i. Cor. X. 13. *FIDELIS est Dominus, qui non sinit nos tentari supra vires &c.*

3. Sic i Thess. V. 24. *FIDELIS est DEus, qui vocavit vos, qui & efficiet.*

4. Et 2 Thess. III. 2. 3. *Non omnium est fides, sed FIDELIS est DEus, qui stabiliet & custodiet vos a malo. adde 2 Tim. II. 13. Hebr. X. 23.*

Quoties itaque angimur de perseverantia in bono usque ad finem, semper ad fidelitatem DEI, & promissionum ipsius veritatem immotam respicere meminerimus. vid. B. Eg. Hunn. Opp. To. IV. f. 727. b.

## XCVIII.

*Mos D. Pauli est, cum DEI mentionem facit, variis & amplissimis uti Epithetis, ut ineffabilem divinæ Majestatis splendorem vel aliquatenus delineet.*

### § I.

**A**pparet hoc imprimis ex i Tim. VI. 15. 16. *Beatus & solus potens, Rex Regum. &c. conf. i Tim. I. 17. Eph. I. 17. & alias.*

§. 2. Annotavit hunc Pauli morem D. Chrysostomus, rationem addens, Homil. III. de incomprehensibili DEI natura, To. V. Si enim, inquit, memoria hominis justi cum laudibus cele-

celebranda est, multo magis, quando mentionem DEI optimi maximi facimus, oportet Eum multis nominibus exornare &c.

§ 3. Referas huc morem Pauli, quod, mentione DEI facta, ἀρχολογίαν interdum subnecstat, ut Gal. I. 5. Hebr. XIII. 21. &c.

§. 4. Ad eundem modum, ubi Apostolus Christi mentionem injicit, ad explicacionem Majestatis Ejus saepius digreditur. e. g. Col. II. 3. Hebr. I. 1. 2. seqq. &c.

### XCIX.

*Paulus, ubi de præcipuis Operibus S. S. TRINITATIS ad extra loquitur, subinde eam Divinitatis Personam præponit, quæ in isto opere primas tenet.*

#### I.

Sic in opere *Creationis* Patrī primum locum relinquit, Rom. XI. 36.

2. Sic in opere *Redemptionis* Christum primo loco ponit, 2 Cor. Xlll. 13. *Gratia Domini nostri Iesu Christi, & charitas DEI,* salutaris illa, quæ à gratia Christi, velut effectus à suo principio distinguitur, & *communicatio Spiritus sancti,* sit cum omnibus vobis. Hinc distinguendum inter ordinem Personarum Deitatis, quem inter se tenent; & ordinem, quo nos ad DEum venimus, & beneficiorum Ejus participes red-

M m 4 dimur.



dimur. Posteriori modo Christus cum suo  
merito est præponendus. Cordate B. *Baldwin.*  
Comm. ad h. l. p. 672. Ideo, inquit, Chri-  
stum primo loco ponit, quia auctor & con-  
summator fidei & salutis nostræ est. Hebr.  
XIII. 2. Idem & l. c. Canonem nostrum  
format.

3. Sic in Opere *Sanctificationis* primum lo-  
cum Spiritus sancto tribuit, mentio autem  
Patris & Filii subsequitur, Rom. VIII. II.  
Eph. III. 16. 17.

Vel ex his judicium ferri poterit, Per-  
sonas divinitatis & æqualis Gloriæ, & æternæ  
Majestatis esse, conf. B. *Georg. Mæbii Theol.*  
*Canon. can. LI.*

## C.

*Apostolus nomina Salvatoris: JESUS  
CHRISTUS, libenter conjungere  
solet.*

## §. I.

**S**cilicet nomen *Jesu* est ex *Hebraeorum* lingua,  
*Christi* ex lingua *Græca*, apud Gentiles usi-  
tata; adeoque hac combinatione innuere  
vult Apostolus, ipsum & *Judæorum*, & Gen-  
tilium Salvatorem esse. conf. Gal. III. 28.

§. 2. Et notandum est, quod ordo horum  
nominum in scriptis Pauli variet; ita ut ple-  
rumque nomen *Jesu* antecedat: idque eade  
causa, quia *Judæi* prius, quam Gentiles, ad  
regnum *Messiae* vocandi erant. Vicissim,  
quia



quia Gentiles vocationi divinæ præ Judæis  
obtemperabant, hinc nomen Græcum Chri-  
sus nomini *JEsu* interdum præponitur. e. g.  
Hebr. III. 1. &c. conf. B. Waltberi Homil. in  
Ep. ad Hebr. fol. 71.

CI.

*Nomen σωτῆρος non Filio solum, sed et Patri à Paulo tribuitur.*

I.

**Q**uia Apostolus Tit. III. 4. prædicat bonita-  
tem *Salvatoris nostri, DEI*. Ubi DEum Pa-  
trem intelligi, vel inde aperte constat, quod  
iste DEus, qui v. 4. dicitur *Salvator noster*,  
luculente discernitur à *Spiritu sancto*, v. 5. &  
à *JEsu Christo*, *Salvatore nostro* v. 6. conf. 2.  
Tim. I. 9.

2. **Q**uia, ut DEus Pater est origo SS. Trini-  
tatis; ita quoque fons est omnis nostræ sa-  
lutis & beatitudinis. Cur ergo & DEO Pa-  
tri nomen Salvatoris non competet? **Q**ui  
emphatice inquit: *Salvabo eos in Jehova (Chri-  
sto) DEO suo.* Hos. I. 7. E. DEus Pater nos sal-  
vat per Filium suum, in Spiritu sancto.

3. **Q**uia *salvatio nostri* est opus divinum *ad  
extra*, toti Trinitati competens, tametsi *sal-  
vo ordine et discrimine divinarum Personarum*,  
*salvoque agendi modo distincto.* vid. B. Feur-  
born. Opp. Theol. p. 679.



## CII.

*Paulus Christum ut πρωτότοκον in scriptis suis frequenter celebrat.*

## I.

**I**ta dicitur πρωτότοκος inter multos fratres, Rom. VIII. 29. quia primas ille in imagine habet, ut reliqui omnes ipsi & per ipsum conformati fieri debeant.

2. Ita Col. I. 15. Christus dicitur πρωτότοκος *omnis creaturæ*: quod primas habeat præ omnibus creaturis, ante quas omnes fuit, & quæ omnes per ipsum & in ipsum creatæ sunt. conf. Hebr. I. 6. πρωτότοκος dicitur, verba B. Dannhaueri sunt, quasi prior omni creatura & genitura, τὸ πρῶτον comparative capiendo, uti notat Er. Schmid. ad Luc. p. 493. Non enim est comparatio Filii DEI, inter creaturem considerati, quasi & ipse creatura esset, ut Ariani contenderunt, sed ante creaturem geniti & existentis, vid. v. 16 & 17. In Hodos. p. 245. edit. recent. conf. de h. l. suprad. p. 36. sqq.

3. Ita est πρωτότοκος ex mortuis. Col. I. 18. quia ipse propria, non aliena virtute resurrexit, & nemo resurgit, nisi per ipsum: conf. Apoc. I. 5.

Sane non videtur ulla nominis πρωτότοκος in Christo melior ratio reddi posse, quam illa est Apostoli, Col. I. 18. ita ut dicamus, πρωτότοκον esse τόκον πρωτεύοντα, Filium, qui pri-



primas tenet & excellit, vid. B. Seb. Schmid.  
Comm. in Epist ad Hebr. p. 76. seq.

### CIII.

Ἐπιφάνεια apud Paulum non Patri, sed  
Christo solum adscribitur.

#### §. I.

Confirmatur hic Canon ex Tit. II. 12. 13. 2  
Thess. II. 8. 1 Tim. VI. 14. 2 Tim. I. 10.  
c. IV. 8. & urgetur contra Socinianos, ne-  
gantes, Christum Tit. II. 12. 13. dici Deum  
magnum. Insulse! Non enim adventum Pa-  
tris, sed Christi Salvatoris præstolamur. B.  
Casp. Finck. Cent. III. can. XLII. conf. B. Calov.  
Bibl. Illustr. N. T. To. II. f. 1069. b.

§ 2. Observat autem Chrysostomus, Christi ἐπι-  
φάνεια esse duplicem, atq; Adventum Domi-  
ni vel priorem vel posteriorem semper signi-  
ficare. conf. Casaubon. Exercitati. ad Baron. p. 138  
b. & Suicer. in Thesauro p. 1198. Atq; ex data hac  
Regula vindicatur locus 2 Thess. II. 8. con-  
tra hodiernos Chiliaetas. Cum enim Domi-  
nus ibi Anti-Christum dicitur abolitus τῇ  
ἐπιφάνειᾳ τῆς παρουσίας αὐτῷ, non gloriosus  
quidam isque intermedius Christi Adven-  
tus hic fingendus est; sed cum ἐπιφάνεια  
semper notet alterutrum Christi adventum,  
per locorum congeriem; vel priorem opor-  
tet h. l. denotari, vel posteriorem. At ve-



ro de adventu primo non agi , res ipsa loquitur. E. de adventu ultimo.

CIV.

Πέριποιησις Ecclesiæ semper Christo , nunquam autem Patri aut Spiritui sancto, à Paulo tribuitur.

I.

**I**ta ex Christo & à Christo dicitur esse αὐτοῦ λύτρωσις Ἰησοῦ περιποιήσεως. Eph. I. 14.

2. Sic 1 Thess. V. 9. περιποιησις dicitur esse per Dominum nostrum Ἰησοῦν Christum.

3. Sic 2 Thes. II. 14. dicitur περιποιησις gloria Christi , efficienter.

4. Hinc itaque vindicatur contra Socinianos locus Act. XX. 28. ubi enim dicitur à Paulo ; quod Ecclesiam Deus περιποιήσατο , acquisiverit per proprium sanguinem ( proprietate scilicet personali talem, ) Christum hic tanquam verum & aeternum Deum celebrari necesse est, quippe cui περιποιησις in Scripturis appropriatur. Vid. B. Dorscheus in Pentadec. p. 203. qui idem etiam de ἀγωγάζειν atque απολυτεῖν I. c. probat.

CV.

Solenne Paulo est, ut omne id, quod Christus vita & morte pro nobis praestitit , voce SANGUINIS complectatur.

§ I.

**S**ic Rom. III. 25. c. V. 9. Eph. I. 7. Col. I. 14. Ebr.



Ebr. X. 19. & in locis aliis: ubi per sanguinem Christi intelligendum est totum Christi meritum, obedientia activa & passiva. conf. B.D. Neumannii Disp. de Emundat. *sanguinis Christi*, p. 10.

§. 2. Si jam quæras: Quare sanguini Christi redemtionem nostram assignet Spiritus sanctus? fit illud I. quia *effusio sanguinis*, tanquam aliquid in sensu nostros incurrens, facilius cognoscitur, quam animæ cruciatus. 2. Sanguinis effusio fuit ultimus passionis actus, quo totum nostræ redemtionis opus qs. completum & corona-tum est. Hebr. IX. 22. 3. Præfigurata erat *redemptio* Christi in animalium sacrificiis. 4. In effusione sanguinis Christi fructus passionis Ejus magis nobis innotescit. Ut enim sanguis Abeli clamitat ad Deum, & vindictam efflagitat; ita vicissim Spiritus S. sanguinem JESU Christi ob oculos ponit, ut cogites, perpetua voce illum non vindictam, sed misericordiam & remissionem peccatorum flagitare, Hebr. XII. 24. Quæ sunt rationes B. Steph. Klotzii, Tract. de Dolor. An. Christi, p. 331. seq.

### CVI.

*Apostolus Christum vix nominat, quin simul meriti Ejus mentionem faciat.*

#### I.

**D**icto sua constat veritas, ex Rom. V. Gal. I. 3. 4. Eph. I. 7. Col. I. 13. &c. 1 Thess. I. 10. c. V.



c. V. 9. 10. 1 Tim. II. 6. Tit. II. 13. 14. In quibus atque aliis locis mentione Salvatoris facta, ad meritum Ejus prædicandum dreditur.

2. Ita enim proprium Apostolorum munus est, Christi gloriam & beneficium illustrare, atque per hoc afflictas conscientias erigere & consolari, docente B. Luthero, Tom. IV. Jen. Lat. f. 94. 4.

3. Simul hic observes, quod Paulus, ubi *beneficia spiritualia DEI erga nos celebrat, Christi Eiusque meriti simul injiciat mentionem, ut: Rom. IV. 25. 1 Cor. I. 30. Gal. I. 4. 5. Eph. I. 3. Col. I. 12. 1 Tim. II. 5. 2 Tim. I. 9. 10. &c.* indicio, quod beneficia spiritualia, non nisi in Christo Salvatore, nobis obtingant,

## CVII.

*Kατάργησις Christo duplex à Paulo tribuitur, una moralis & ACQUISITORIA, altera realis & applicatoria.*

### I.

**I**ta de κατάργησι acquisitoria loquitur Apostolus Ebr. II. 14. quod Christus carnis & sanguinis particeps factus, ut per mortem κατάργηση eum, qui potestatem mortis habet. Sic, ubi de κατάργησι τέ νέπος sermo est, ut: Col. II. 14. Eph. II. 14. 15. item, cum peccatum in Christum translatum, & nobis justitia acquisita dicitur. 2 Cor. V.

2. Ita



2. Ita κατάργησις applicatoria ad officium Christi Regium potissimum spectat, & est contritio satanae sub pedes nostros, de qua Rom. XVI. 20. quæ non est ea, de qua Gen. III. 15. sed ejus fructus & applicatio. Hæc κατάργησις describitur 1 Cor. XV. 24. 25. 26. quæ est successiva, & in certo quodam ordine constituta. Et ad hanc pertinet etiam illa θέσις inimicorum Christi omnium sub pedes, ib. v. 25.

3. Est enim omnino etiam duplex θέσις inimicorum sub pedes Christi, uti duplex κατάργησις eorum: Et quidem una moralis, judicialis, plenaria, consummata, in statu Exinanitionis Christi, in quo totaliter contrivit caput serpentis, altera actualis, applicatoria, successiva, ad finem usque seculi durans, adeoque ad statum Exaltationis potissimum spectans: de qua Psaltes & Apostolus l. c. vide accurate hæc docentem B. Dorscheum, in Comm. posthumo ad Hebr. p. 156. &c.

### CVIII.

Habet hoc in more Apostolus, ut, cum in studio Parænetico versatur, ex actibus EXINANITIONIS ET EXALTATIONIS Christi ducat rationes.

#### I.

Ita Rom. VI. 4. sepulturæ meminit, atque in hunc modum colligit: Sicut sepultura Christi obsignaculum & argumentum erat mortis



tis exantlatæ , ita & Baptismus vobis collatus fuit, velut obsignaculum ad mortem peccati declarandam , coll. 2 Cor. V. 15. 16.

2. Simile argumentum promit ibidem ab actu resurrectionis : Christus est excitatus à mortuis , ut vitam gloriosam ingrederetur , nec peccatum ullum jus amplius in illum obtineret. Ergo & vos excitatos veluti à mortuis , in novitate vite ambulare decet.

3. Ita ad humilitatis studium excitat , Christum proponens in exemplum , qui formam servi assumpsit , seque usque ad mortem crucis exinanivit , postea super omnia à Patre exaltatus . Phil. II. 4. 5. &c. conf. loca alia , huc pertinentia , Gal. II. 20. c. V. 24. Col. II. 12. 13. &c. & B. D. Neumann. Disp. de Peccato sub spe veniae commisso , p. 7.

## CIX.

Styli Paulini character est , conformitatem Christianorum , tanquam membrorum & corporis mystici , cum Christo capite suo , SECUNDUM UTRUMQUE STATUM cum Emphasi declarare.

### I.

Ita quoad statum Exinanitionis : Rom. VI. 6. *Vetus noster homo una crucifixus est, ut aboleatur corpus peccati.*

2. Similiter Rom. VIII. 17, *Sumus coheredes Christi*



Christi; si quidem una patimur, ut et simul glorificemur. conf. Gal. II. 20. 2 Cor. IV. 10.

3. Ita quoad statum Exaltationis, Eph. II. 5. 6.  
Vivificavit nos una cum Christo, et una excitavit,  
ac considerare fecit in supra caelestibus.

4. Sic & Phil. III. 21. Qui transformabit corpus humiliationis nostrum, ut fiat conforme corpori gloriae Ejus. Adde Rom. VI. 5. c. VIII. 17.

Hæc nempe salutaris illa Christianorum cum Christo conformitas est, quod si una moriuntur cum Christo, simul etiam cum ipso aliquando vivent. 2 Tim. II. 11.

## CX.

Resurrectio Christi Patri ut plurimum  
a Paulo tribuitur.

### I.

Vide loca evidencia, Rom. VI. 4. Resurrexit Christus per gloriam Patris, i. e. per glorio-sam DEI Patris potentiam. Rom. VIII. 11.  
1 Cor. VI. 14. 2 Cor. XIII. 4. Eph. I. 20. Col. II. 12. Hebr. XIII. 20.

2. Prægnantes vero hujus locutionis rationes suppetunt. Pater nempe Christum resuscitasse in Scripturis legitur: 1. quia Pater est fons divinitatis, quam ab æterno communicavit Filio per generationem. Quoniam ergo Christus resurrexit virtute Patris sibi communicata, inde resuscitatio Patri plerumque

Nr ad-



adscribitur. 2. Ut Filius à Patre dicitur in mortem traditus, Rom. VIII. 32. & tamen se ipsum pro nobis tradidit, Gal. II. 20. ita & ex mortuis à Patre suscitatus legitur, ut tamen ipse à resuscitatione non sit excludendus. 3. In primis autem Spiritus sanctus hac loquendi forma de sufficientia meriti, & satisfactionis, per Christum DEO Patri præstatae, nos confirmare voluit. Cum enim Pater tam gloriose ex mortuis reduxit Pontificem illum, qui morte sua pro peccatis nostris litaverat; evidentissimo & certissimo pignore testatus est & obsignavit, se sacrificio mortis Christi omnino perfectissimeque placatum esse. Id quod uberior declarari potest exemplo sponsoris, ex carcere liberati, ex quo colligitur, creditori esse plene satisfactum. vid. B. Gerhardi *Disputt. Theol.* pag. 1416. seq. Conf. B. Chemnit. LL. Theol. P. I. f. m. 67. a.

§. 3. Absit vero, ut ideo negemus, Christum se ipsum suscitasse, propriaque virtute resurrexisse; quod foret contra Jo. X. 18. Sane nullum alias discrimen erit inter Christi & nostram resurrectionem, nam & nos Deus excitabit ex pulvere terræ. Alios Christus ex morte suo nutu, voce, manu suscitat, & se ipsum suscitare non potuit? Qui mortem vicit, à morte non resurget? Num victoria illa solius Deitatis est? Annon vicit Leo de Tribu Juda? Ap. V. 5. Quare Humanitas à victoria illa excludi non potest.

Re-



Reversa anima ad corpus naturali illud vita vivificavit, à quo ὁ λόγος, qui ipsa vita est, personali unione nunquam discessit. Verba B. Menzeri sunt, *Opp. T. I.* p. 424.

## CXL.

*Prægnantissima de Divinitate Spiritus sancti  
Testimonia in Scriptis Paulinis appri-  
me observes.*

## I.

Ita cum Ps. XCV. Jehova de se affirmat: *In  
deserto tentaverunt Me Patres vestri; hoc teste A-  
postolo Spiritus sanctus ipse loquitur, & se à  
Patribus tentatum confirmat. Hebr. III. 7. 8.  
9. Unde sequitur, Spiritum sanctum esse  
illum Jehovah, qui se tentatum ab Israëli-  
tum populo conqueritur.*

2. Ita Paulus testatur, *Spiritum omnia scru-  
tari, etiam Profunditates DEI. I Cor. II. 10. II.  
Ubi Spiritui sancto ita asligatur vis scru-  
tandi omnia, ut ne quidem abyssi profunditi-  
tatesque Deitatis fugiant ipsius notitiam; sed  
illas ipse sic cognitas, sic intime perspectas  
habeat, ut cuiusque hominis anima seu spi-  
ritus propriarum cogitationum suarum con-  
scius esse consuevit. Atque hujus argumenti  
evidentia mirabiliter elucet per hanc com-  
parationem: Nosse corda omnium homi-  
num est DEI solius, I. Reg. VIII. Si ergo,  
quod Spiritus DEI corda hominum scruta-*

Nn 2 tur,



tur, DEus esse cognoscitur, ex Salomonis testimonio; nonne incomparabiliter evidenter afferendæ Deitatis ipsius argumentum fuerit, quod ipsius DEI cor atque abyssi patent illius notitiæ? B. *Æg. Hunn.* Opp. *To. I. f. 123.*

3. Ita i Cor. III. 16. *An nescitis, quod templum DEi estis, & Spiritus DEI habitat in vobis?* Nam si Christiani propterea sunt templum DEI, quia Spiritus S. in illis habitat, utique DEus ille sit, necesse est, cujus templum prædicanter esse fideles. Vide egregiam Apodixin apud B. *Calov.* *To. II. Bibl. Illustr. N. T. Fol. 279. b.*

4. Similiter i Cor. XII. 11. ut ante enumerationem donorum inquit: *DEum esse, qui efficiat omnia in omnibus;* Sic enumerationem illam claudens, subjicit, *hæc omnia effici ab uno eodemque illo Spiritu.* Plura loca cumulare supercedeo.

## CXII.

*Ubi apud Paulum nomen Angelorum absolute ponitur, bonos intelligas.*

**S**ic Hebr. I. 7. 13.

2. Sic Hebr. II. 16. *Non sane Angelos assumit &c. conser v. 7. 9.*

3. Sic Col. II. 18. de humilitate & cultu Angelorum loquitur.

4. Nec obstat i Cor. VI. 3. *Nonne scitis, quod Angelos judicaturi simus?* Nam vocabulum

An-



Angeli hic absolute poni, vix concedi debet: circumstantiae enim textus facile indicant, quales Angeli h. l. intelligantur, nempe Angeli, judicio divino obnoxii, & Angeli κοσμος, v. 2. qui & ιωσηλονετορες, Eph. VI. 12. Angeli, autores litigiorum & dissidiorum; notante B. Dorscheo Comm. ad Hebr. p. 133.

Alias B. Seb. Schmid. in *Mysterio pietatis* observat, ubi Paulus in *Epistola ad Hebreos Angelorum* meminit, eosque cum Christo confert, semper eum bonos intelligere.

### CXIII.

*Δόξα apud Paulum peculiari ratione Imaginem  
divinam notat.*

#### I.

Sic Rom. III. 23. *Caremus gloria DEI*, quæ gloria nulla est alia, nisi justitiae & sanctitatis, quippe quæ in judicio divino requiritur.

2. Sic i Cor. XI. 7. Vir dicitur *imago* & *gloria DEI*. *Δόξα* enim significat imaginem, figuram, similitudinem. Hunc significatum inter alia ei attribuit *Phavorinus*, scribens: *Δόξα, εἰκασμός*. Pariter Lxx Interpretes nomen *מונח*, quæ imaginem notat, transfrerunt *δόξα*, Num. XII. 8. & Ps. XVII. 15. juxta B. Saubert. in *Opp. posth.* p. 126.

3. Sic 2 Cor. III. 18. dicimus *transformari de gloria in gloriam*; ubi Flacius *δόξαν* accipit pro imagine. Et sane, verba B. Seb. Schmidii sunt, *Tract. de Imag: DEI*, p. 286. seq. non errat

Nn 3 quo-



quoad rem, i. quod  $\delta\omega\xi\alpha$  sit ipsa res, in qua  
imago consistit, ut appareat ex verbis,  $\tau\eta\pi\alpha$   
 $\alpha\pi\lambda\eta\pi\alpha$   $\epsilon\pi\kappa\alpha\pi\alpha$ , quippe quibus manifeste doce-  
tur, quod transformatio de gloria in glori-  
am fiat juxta imaginem, & ut habeamus ima-  
ginem, adeoque gloria sit res imaginis, in  
nobis renovata.

## CXIV.

*Paulus, quando in genere & universaliter de  
peccato loquitur, in singulari indefinite  
nominat εμαρτιαν.*

**S**ic Rom. III. 9. c. V. 12. 13. 20. 21. Ebr. IX. 26.  
& aliás usurpatur, ac tota moles peccati  
omniumque vitiorum intelligitur. conf. B.  
Chennit. Harm. Ev. c. XXII.

## CXV.

*Apostolus Paulus ubi congenitam hominis cor-  
ruptionem innuere vult, ut plurimum  
τὰς νοὸς meminit.*

## I.

**S**ic Eph. IV. 17. in vanitate τὰς νοὸς αὐλῶν, men-  
tis suæ.

2. Sic I. Tim. VI. 5. loquitur de hominibus,  
corruptis mente, τὸν υἱὸν.

3. Sic Tit. I. 15. polluta est eorum & MENS,  
& conscientia.

4. Hinc & Rom. XII. 2. de renovatione mentis  
sermo est; & Eph. IV. 23. dicimus renovari Spi-  
ritu mentis. Quod si igitur fideles renovari  
mente oportet, quis dubitet, eosdem men-  
te



te depravatos fuisse ? Adde , quod Paulus alias menti tribuat pollutionem, corrupti-  
nem, vanitatem.

CXVI.

*Paulus in Articulo de Peccato & Libero Arbitrio  
crebro utitur vocabulis universalibus.*

**U**t: Omnes declinaverunt. Non est justus quisquam.  
Non est, qui faciat bonum, ne unus quidem. Omnes  
unius delicto peccatores & damnati sunt. vid. B. Lu-  
therus, contra Erasm. Tom. III. Jen. Lat. f. 232. a.

CXVII.

*Usitatum Apostolo est, in descriptione peccato-  
rum uti substantialibus vocabulis.*

I.

**I**ta corruptionem humanam carnem nomi-  
nat, Rom. Vlll. 7. Gal. V. 17. &c. ut ostendat,  
malum originale humanæ naturæ inti-  
me infixum esse.

2. Ità eodem sensu veteris hominis meminit,  
Eph. IV. 22, Col. III. 9. non quod ille à novo ho-  
mine quoad substantiam diversus sit, sed vi-  
tiosas qualitates, homini per naturam in-  
hærentes, intelligit. Vid. B. Rungius ad  
Rom. p. 119. &c. & B. Schmid. de Imag. DEI,  
p. 246. seqq.

3. Ita Rom. VI. 6. de corpore peccati sermo  
est, non quasi peccatum originis pro sub-  
stantia hominis habendum sit ; sed corporis  
vox h. l. non peccatum seorsim, sed subje-  
ctum una cum inhærente vitio comprehen-

Nn 4

dit.



dit. Et quando dicitur *aboleri corpus peccati*, sensus neutiquam est cum *Fanaticis*, quasi peccatum originale prorsus anni hilari possit; quin potius sensus est, *corpus peccati*, sive peccato obnoxium, secundum quid abolendum, peccatumque quoad dominium suum esse coercendum, sicut ibidem explicat Apostolus. Conf. B. *Aeg. Hunn.* Opp. To. IV. f. 675. b.

4. Sic Col. II. 11. per *corpus originale* concupiscentiam intelligit, & quod alibi σῶμα τὸ φανταστικόν vocat, Rom. VII. 24. Non quasi substantiale aliquid sit; sed per metaphoram, quia habet se ad actualia peccata, veluti corpus ad membra, per eaque efficax est, Col. III. 5. Gal. V. 19. *Exuitur* vero hoc corpus, non quoad inharentiam & radicem, sed quoad dominium, cum resistitur pravis motibus concupiscentiae, prohibeturque ne peccatum dominetur in mortali nostro corpore, Rom. VI. 12. quod alibi est, veterem hominem exuere. Col. III. 9. crucifigere, Rom. VI. 6. Gai. V. 24. docente B. *Rappolto*, Opp. Theol. To. I. p. 746.

### CXVIII.

*Verbum* ὄντειν, ubi de actione DEI gratiosa usurpatur, semper media salutis, *Verbum* & *Sacramenta*, includit.

Vid. loca: Rom. VIII. 14. Gal. V. 18. 1 Thess. IV. 14. Ebr. II. 10. & conf. B. D. Neumann in *Disp. de Tempore gratiae divinae*, p. 38.

### CXIX



CXIX.

*Quando apud Paulum χρησότης de DEO usurpatur, semper notat gratiam salutarem, qua omnes ex aequo in Filio complectitur.*

I.

*Ita Apostolus Rom. II. 4. πλεῖτον χρησότητα divinæ celebrat.*

2. Ita deprædicat excellentes divitias gratiæ diuinæ ēν χρησότητι, in bonitate super nos in Christo Iesu. Eph. II. 7.

3. Ideoque cum Φιλανθρωπίᾳ istam vocem συνονύμως conjungit, quando apparuisse dicit χρησότητα καὶ Φιλανθρωπίαν Salvatoris nostri. Tit. III. 4.

4. Atque hoc sensu opponitur justitiæ DEL vindicatrici, ecce χρησότητα καὶ ἀπόστολος τῆς Θεᾶς. Rom. XI. 22. conf. B. Hulsem. Vindice. p. 79.

CXX.

*VOCATIO non tam simplex, quam CONFUNCTA apud Paulum innuitur, quarum illa ratione gratiæ oblatæ, hæc ratione gratiæ acceptatæ sic appellatur.*

I.

*Ita Rom. VIII. 30. Quos vocavit, hos etiam iustificavit, quos iustificavit, eos & glorificavit. Unde colligunt Calviniani, solos Electos à DEO serio & efficaciter esse vocatos. Sed enim*

Nn 5                          vero



verò discrimen hic diligenter observandum est, quod Paulus ipse monstrat, v. 128. ubi de vocatis secundum propositum loquitur. Propositum autem DEI eo dirigitur, ut, qui Evangelium audit, in Christum credit, & in fide usque ad finem vitæ perseverat, salvus fiat. Est igitur 1. *vocatio generalis omnium hominum* quæ fit per Evangelium, ut est in Parabola, Matth. XXII. 2. Est *vocatio secundum propositum*, cum non tantum vocantur homines, sed etiam vocationi illi obtemperant, & ad nuptias Regis cœlestis comparent. 2. Tim. I. 9. Et ita recte dicitur, quod illi tantum, qui vocati sunt secundum propositum, sint electi, & quod justificentur & glorificantur. B. Mentzer. *Opp. Theol.* To. II. p. 869. a.

2. Ita Corinthios appellat *vocatos sanctos*, 1 Cor. I. 2. i.e. tales, qui vocationem amplexi sunt, conf. v. 26.

3. Hoc sensu Hebræos vocat μελόχες κλησιῶν ἐπεργασίας, Hebr. III. 1.

4. Similiter Ebr. IX. 15. Ut *promissionem accipiant vocati æternæ hereditatis*. Aliter accipitur Matth. XX. 16, c. XXII. 14. *Multi vocati, pauci Electi*: intelligitur enim *vocatio simplex*, sive ἡ πλάτει dicta, h. e. tantum respectu DEI vocantis; non complexa, seu specialis, quia homines ingratæ vocationem illam divinam contempserunt. conf. Luc. XIV. 24. & To. II. Giess. Disp. IX. § 48. B. Hunn. *Opp. To. I. col. 804.* CXXI.



## CXXI.

Duplex CHRISTI INDUITIO apud Paulum  
memoratur, altera **LEGALIS**, altera  
**EVANGELICA**.

### I.

Ita Gal. III. 27. in Baptismo Christum induimus,  
ubi meritum Ejus fide apprehendimus.  
Agit nempe Apostolus de illo effectu Bapti-  
smi, quo fides nobis datur, & per fidem ve-  
stimur Christi justitia. vid. B. Dorsch. Pentad.  
p 181. &c.

2. Ita Apostolus jubet induere Dominum JE-  
sum, Rom. Xlll. 14. Quod de imitatione Christi  
dictum esse, patet *tum ex v. 12.* ubi Aposto-  
lus jubet induere *arma* seu habitum lucis, &  
abjicere opera tenebrarum, quæ v. 13. enu-  
merat; *tum ex verbis reliquis v. 14.* Et in  
hoc sensu æquipollent phrasibus aliis Paulinis,  
quibus hortatur induere novum hominem, i. e.  
novam vitæ rationem inire: &, induere vi-  
scera misericordia &c. Col. III. 10. 12. vid. B.  
Höpfner. de Justificat. p. 85.

Nimirum, induimus Christum vel per fi-  
dem, ratione *meriti*, in *regeneratione*; vel per  
vitam, ratione *exempli*, in *renovatione*.

Præclare docet B: Lutherus: Induere Chri-  
stum, dupliciter intelligitur, Legaliter &  
Evangelice: Legaliter, cum imitamus exem-  
plum Christi, juxta normam Legis divinæ,  
Rom. Xlll. 14. Evangelice autem induere  
Christum non est imitationis, sed nativita-  
tis & creationis novæ. To. IV. Jen. Lat. f. 115.

## CXXII.



## CXXII.

Dignum est observatione , PETRUM & JOHANNEM in scriptis suis, non perinde, ut PAULUM, usurpare Vocabulum JUSTIFICATIONIS; quod adeo in hac doctrina PAULO fere proprium est.

## § 1.

**F**ecerunt hoc sine dubio Petrus & Johannes, non ideo , quod improbarent formam verborum Pauli; sed ut eandem doctrinam per alia Synonyma, magis nota repeterent, atque ipsa collatione monstrarent veram significationem in disputatione Pauli,

§ 2. Ita i Joh. I. 9. *Fidelis & justus est, ut remittat peccata;* ubi manifestum est, quod voluerit exprimere illam sententiam, Rom. III. 26. *ut sit ipse justus & justificans &c.* Item : *Translati sumus à morte ad vitam,* i. Joh. III. 14. cui simile est illud Col. I. 13. *Transtulit nos liberatos à potestate tenebrarum in Regnum Filii sui.* i Joh. II. 12. *Remittuntur vobis peccata propter Nomen Ejus;* Paulus idem dicit, i Cor. VI. 11. *Justificati in nomine Christi.* Ac peculiaris phrasis est, ubi Johannes asserit, *sanguinem Christi nos emundare ab omni peccato,* i Joh. I. 7. idemque Paulus asserit, Rom. V. 9. *justificati sanguine ipsius.*

§. 3. Similiter Petrus Act. II. 38. dicit: *Baptizetur unusquisque in remissionem peccatorum.* Quæ

VER-



verba conferantur ad locum de Baptismo.  
 Tit. III. 5. Sic Act. III. 19. ait Petrus: *Ut delean-*  
*tur peccata vestra: & Paulus dicit Chirographum,*  
 Col. II. 14. & alludit sine dubio ad proces-  
 sum judicialem. Sic Act. X. 43. Petrus  
 ait: *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent,*  
*remissionem peccatorum accipere per Nomen Ejus o-*  
*mnes, qui credunt in eum, estque explicatio ejus,*  
 quod Rom. III. 21. Paulus dicit: *Justitia DEI,*  
*testificata à Lege & Prophetis &c.*

§. 5. Diligenter autem considerandum  
 est, quare Paulus in explicatione hujus Ar-  
 ticuli tantopere delectetur verbo forensi *Ju-*  
*stificationis;* cum reliquorum Apostolorum  
 vocabula Synonyma, ut: *Salvare, remittere*  
*peccata &c.* videantur notiora esse. Nimirum  
 homines profani, securi & Epicurei existi-  
 mant, leve & perfunditorum quid esse ju-  
 stificationem peccatoris, ideo de peccato  
 non admodum sunt solliciti, aut reconcilia-  
 tionem cum DEO serio expetunt. Proprie-  
 tas autem verbi *justificare* ostendit, quam gra-  
 vis & seria actio coram judicio DEI sit justi-  
 ficatio peccatoris. Mens item humana, Pha-  
 risaica persuasione inflata, facile potest con-  
 cipere persuasionem, imo fiduciam justitiae  
 propriæ qualemcunque. Sed quando sub  
 imagine judicii, examinis & tribunalis divi-  
 ni, per processum, ut sic dicam, judicia-  
 lem, doctrina Justificationis proponitur:  
 concidunt, evanescunt & prosternuntur Pha-  
 risaice



risticæ illæ persuasions &c. Vid. qui de his omnibus graviter atque eruditæ differit, R. Chemnit. LL. Theol. P. II. f. m. 251. 253. & in Exam. Concil. Trident. P. I. f. m. 132.

### CXXIII.

*Vocabula Paulina: Δικαιώμα, Δικαιοσύνη, Δικαιωσίς, in Articulo de Justificatione obvia, accurate inter se discernenda sunt.*

#### I.

**S**ic *Δικαιώμα*, cum DEO Legislatori & Judici, aut Legi tribuitur, ut Rom. I. 32. c. VIII. 3. est Jus illud, quod DEus per Legem à nobis exigit, ut perfectam omnibus modis Legi divinæ obedientiam præstemus. Ex quo jure Legis sequitur sententia ejus aut *absolutoria*, aut *damnatoria*: Viciſſim, quando Christo tribuitur, Rom. V. 18. est ipsa Christi satisfactionio, Legi præstita, aut plenissima illa Christi obedientia, activa & passiva. ib. v. 19. Sicut & Aristoteles To. II. Opp. L. V. pag. 38. *Δικαιώμα* exponit per τό επανέρθωμα τε ἀδικήματος, correctionem injuria, sive satisfactionem: ut adeo satisfactionis vocabulum, frustra cavillantibus Socinianis, γῆλως in Scripturis extet.

2. Sic *Δικαιοσύνη* jam DEI justitiam vindicativam, cui pro hominibus satisfaciendum fuit; jam Christi justitiam, nobis imputandam, significat, Rom. III. 25. 26. Quem duplēm respe-



respectum l. c. aperte confirmat, variatio partim Pronominis reciproci, αὐτῆς, & relati- vi, αὐτῆς; partim particularum, εἰς, causam finalem justificationis, & πρός, formalem pul- cre insinuantium: ut & illius *justitiae* & *gratiae* admirabilis complexus in membro ultimo, simul vocum δικαιοσύνης elegantia paronomasia. Breviter: δικαιοσύνη est me- riti Christi, morte acquisiti, per fidem applicatio. Unde & Apostolus Rom. V. 17. cum addito δωρεάν τῆς δικαιοσύνης donum illius *justitiae* appellat, quam accepimus per fidem.

3. Sic δικαίωσις est actus DEI nos justifi- cantis, sive ipsa à peccatis absolutio & impu- tatio *justitiae* Christi. Δικαίωμα est causa Ju- stificationis meritoria; δικαίωσις vero illius ef- fectus: Δικαίωμα secundi, δικαίωσις vero tertii Articuli beneficium est.

Nota: δικαίωμα, δικαίωσις, δικαιοσύνη. Rom. V. 16. 17. 18. distincte occurunt. vid B. Steph. Clotz: Tract. de Dolor. An. Christi, p. 240. seq. conf. B. Balth. Meifner. Anthropol. Disp. XXIV. §. 10.

### CXXIV.

*Paulus solet ADAMUM adducere, quando de nostra corruptione agit; ABRAHAMUM vero in exemplum justificationis gratuitæ allegat.*

Prob. prius ex Rom. V. & I. Cor. XV. Po- sterius



sterius autem ex Rom. IV. Gal. III. conf.  
B. Polyc. Lyser. in Abrah. p. 163.

CXXV.

FIDES apud Paulum *LEGALIBUS Phrasibus*  
*enuntiari solet*

I.

Ita Evangelium *Lex* vocatur, & quidem,  
melioris sensus ergo, dicitur cum appo-  
to, *Lex fidei*, Rom. III. 27. Sicut & *Lex liber-  
tatis* appellatur, Jac. I. 25.

2. Ita & Hebr. VIII. 10. Dominus *Legem  
dare* dicitur in mentem hominum: ad quem lo-  
cum B. Seb. Schmid. p. 858. Non alienum est  
ab Apostolo nostro, ut per νόμον Legem do-  
ctrinam salutis intelligat, &c.

3. Ita phasi consueta fides ipsa *obedientia*  
vocatur, qua obedimus verbo Evangelii,  
Rom. I. 5. c. VI. 17. 2 Cor. IX. 23. c. X. 5. 2 Thess.  
II. 13. conf. Joh. VI. 29. 40. 1 Joh. III. 23. 1 Pet.  
1. 2. & B. Calov. To. II. in N. T. fol. 23. a.

4. Similiter fides *opus* dicitur, ratione es-  
sentiæ suæ, non relationis & officii, quod in  
justificationis negotio habet. Sic I Thess.  
I. 3. Sic Hebr. VI. 10. ubi Apostolus in singu-  
lari loquitur, ut μετ' ἔχοντι unum fidei o-  
pus significaret, & cum labore dilectionis  
conjungit. conf. Joh. VI. 28. 29. Sicut & Jac.  
III. per ἐργα reale & solidum quid intelli-  
gatur, quod opponitur λόγῳ; uno verbo, ἐρ-

*γον πίστεως*, seu realitas fidei, externæ fidei professioni contradistincta. Ad hunc modum & B. Fechtius in pecul. Disp. explicat Rom. II. 7. Secundum perseverantiam boni operis, i. e. fidei, quæ est opus DEI, Joh. VI. 29. adeoque bonum. Cur enim Ap. alias mutaret numerum plur. immediate antecedentem, in singul. ἐργα? Et opponitur h. I. fides finaliter perseverans τὴν ἀπίστιαν, v. 8. tanquam causa vitæ æt: Conferat scopus totius Epistolæ, qui est, removere opera ab efficientia salutis, & hanc soli fidei transcribere, c. III. 28.

## CXXVI.

*Paulinum est, Fidei πληροφορίαν tribuere.*

Vide Rom. IV. 21. Col. II. 2. Hebr. VI. 11. c. X. 22. & sæpe alias de πληροφορίᾳ Paulus loquitur.

Vocatur autem πληροφορία fidei, quæ ex certitudine verbi & promissionis gignit in animo firmam & immotam persuasionem, ut voluntas toto animo feratur in illud, quod cognitio in verbo monstravit.

Et hoc convenit Etymologia τῆς πληροφορίας, plenis velis ferri. B. Chemn. LL. Theol. P. II. f. m. 265.

Usus est Elencticus, adversus dubitationem Pontificiam.

Oo

## CXXVII.



## CXXVII.

*Paulus TIMORIS & TREMORIS meminit,  
ubi nullus diffidentiae locus est.*

## I.

**S**ic i Cor. II. 3. *Ego in TIMORE, & TREMORE*  
*multo sui apud vos, ubi suam humilitatem &*  
*modestiam opponit fastui Pseudoprophe-*  
*tarum. Certe Paulum cum servili metu,*  
*trepidatione & diffidentia, cum Corinthiis*  
*versatum fuisse, nulli fit verisimile, qui*  
*Paulum ex Paulo novit.*

2. Sic 2 Cor. VII. 15. *tanquam cum TIMORE*  
*& TREMORE receperitis illum, scil. Titum, i. e.*  
*summa cum reverentia: Alias nec recreas-*  
*sent Titum, nec Paulo hoc nomine placui-*  
*sent.*

3. Sic Eph. VI, 5. *servi, obedite Dominis ve-*  
*stris cum TIMORE & TREMORE. Atqui servi-*  
*tus, quæ cum perpetua trepidatione & dif-*  
*fidentia conjuncta est, illiberalis est & Apo-*  
*stoli commendatione indigna.*

4. Ita & Phil. II. 12. sumitur: *Operamini fa-*  
*lutem vestram cum TIMORE & TREMORE, i.e.*  
*cum Majestatis divinæ reverentia, & solici-*  
*ta peccati cautela.*

Nimirum phrasis illa, *ἐν φόβῳ καὶ τρόμῳ*  
quinquies in Bibliis occurrit, semel in vete-  
ri, Ps. II. & quater in novo fœdere, & qui-  
dem tantum apud Paulum, ll. cc. Omnibus-  
que istis locis ita usurpatur, ut superbiam,  
car-



carnalem securitatem, & præsumptionem excludat: animi demissionem, reverentiam, humilitatem & modestiam, non vero servi-  
leni metum, diffidentiam & trepidationem significet: vid. Sixt. ab Amama in *Antibarb. Bibl.* L. III. p. 701.

Adeoque in hac phrasí nullum dubita-  
tioni suæ præsidium *Pontificii* inveniunt.

### CXXVIII.

*Diversa apud Paulum phrasis est: NOS  
IN CHRISTO, & CHRISTUS  
IN NOBIS.*

#### §. I.

**E**st non unius generis ista unio, quæ Christo cum fidelibus intercedit, hinc altera ab altera probe distinguenda est: Nimirum datur unio & *relativa*, & *mystica*; illa autem ipsum justificationis ingreditur, hæc ad statum atque renovationem spectat. Fides enim nos jungit cum Christo non solum *unione mystica*, quæ est *Sanctificationis*, qua inhabitat Christus, sed & *unione relativa*, qua Christus noster est, & nos in Christo. Quæquidem distinguuntur, non *temporis*, sed *ordinis* saltem prioritate. conf. B. Kænig: in *Theol. Posit. Acroam.* §. 577.

§. 2. Ita Apostolus dicit, *nos esse in Christo*.  
**I Cor. I. 30. Phil. III. 9 2. Cor. V. 17. &c.** ubi  
unio spectatur ratione virtutis & beneficio-  
rum, quippe Christus suæ justitiae fideles fa-



cit participes, in qua coram throno divino  
comparent. confer huc B. Pol. Lyser. in Isaia-  
co , p. 133.

§. 3. Vicissim ubi Paulus afferit, *Christum  
esse in nobis*, Rom. Vlll. 10 1Cor. XIV. 25.  
2 Cor. Xlll. 5. Eph. III. 17. Col. I. 27. *mysticam*  
*Christi cum fidelibus unionem* indigitat. Sicut  
*Johannes* utramque unionem saepius inter se  
conjugit, ut, Joh XIV. 20. c. XV. 4. 1Joh.  
III. 24. c. IV. 13. 17. quibus in locis *prius* in  
Christo esse dicimur, & *tum* Christus in no-  
bis, propter ordinem, in hac unione obser-  
vandum.

§. 4. Nulla hic contradic<sup>tio</sup> temere fingen-  
da est. Sicut enim non repugnat, vitem  
manere in palmite, & palmitem rursus in  
vitè, diverso tamen respectu; Ita nec repu-  
gnabit, Christum esse in nobis certo, & nos  
in illo certo respectu esse. Distingue inter  
Christum *ut merentem*, in officio suo Sacerdo-  
tali constitutum, ubi nos in ipso dicimur  
esse per fidem; & inter Christum, *ut dispen-  
satorem* beneficiorum, nobis à se partorum,  
ubi intime nobis eadem communicat, per  
modum inhabitantis & residentis in cordi-  
bus nostris, B. Dorschei verba sunt in Pentadec.  
p. 602.

§. 5. Maxime vero necessarium est, hasce  
phrases & loquendi formulas curatius distin-  
guere; cum alias *mystica* unio cum *relativa*  
*illa confundatur*, quod fit à Novatoribus, qui  
hinc



hinc in crassissimos delabuntur errores, ut vel præferant unionem justificationi, vel ipsam justificationem pro effectu unionis mysticæ venditare non erubescant. Atque hinc etiam oritur abusus phraseos: *Ego sum Christus*; quam B. *Lutherus* adhibens, non ad unionem mysticam respexit, sed potius ad justificationem, i. e. Christi justitia, victoria, vita, est mea. vid. B. *Pfeiffer*: *in der ger. Sache* / p. 212. seq. & in *Sceptic. Tripart.* P. II. c. 10. De cœtero confer: pluribus de distincta hac phraſi, Dn. D. *Loscherus* in *Decim. Evang. P. V.* p. 195. seqq. & Dn. D. *Stoltze*, in *Schediasm. de duplii unione*.

## CXXIX.

*Paulus unionem & communionem fidelium cum Christo elegantibus figuris adumbrat.*

### I.

**I**ta unionem hanc depingit per unionem capitis & membrorum, Rom. XII. 1 Cor. XII. Eph. I. & IV.

2. Ita picturam desumit ab architectura, 1 Cor. III. Eph. II. 19. 20.

3. Sic unionem hanc sub imagine coniugii proponit. 1 Cor. VI. 17. 2 Cor. XI. 2. Eph. V. 23. seqq.

4. Similiter à plantis & arboribus similitudinem mutuatur, Rom. VI. 5.



CXXX.

*Paulus utitur voce vndeōrūas, ut filiationem  
Christi à nostra distinguat.*

**I**ta observat D. Augustinus, de consensu Evang.  
L. II. c. 3.

CXXXI.

*Apostolus, adhortatus ad dilectionem proximi,  
frequenter argumentum desumit à COM-  
MUNIONE MEMBRORUM.*

I.

**S**ic i Cor. XII. 26. 27. Si patitur unum membrum,  
omnia membra compatiuntur. f.

2. Sic ter loquitur, de eodem corpore atque  
membris, Eph. IV. 4. 16. & 25. ad suadendam  
charitatem mutuam.

CXXXII.

*Aurea Lutheri Regula est : Apostolus de Lege,  
quatenus est doctrina DEI, loquitur honorifice;  
contemptim vero, quatenus oppo-  
nitur Evangelio.*

I.

**S**ic, quando Lex per se consideratur, ut do-  
ctrina à DEO promulgata, honorificis ti-  
tulis ornatur, dicitur *Lex sancta, mandatum  
sanctum & bonum*, Rom. VII. 12. mandatum,  
*quod ad vitam*, v. 10. *Lex bona;* 1 Tim. I. 8.  
**c**onf. Act. VII. 38. ubi dicitur *sermo iuvans.*

2. Sic, quando in Articulo justificationis &  
in collatione cum doctrina Evangelii, itemque  
respe-



respectu naturæ nostræ corruptæ consideratur,  
ibi velut contemtim & ignominiose de Lege  
Apostolus loquitur: vocat enim paedagogum &  
carcerem concludentem, Gal. III. 23. 24. jugum ser-  
vitatis, Gal. V. 1. operationem iræ ac mortis, Rom.  
IV. 15. c. VII. 5. infirma & egena elementa mundi,  
Gal. IV. 9. ministerium mortis & condemnationis,  
literam occidentem, 2 Cor. III. 6. 7. & 9. Chiro-  
graphum, nobis contrarium, Col. II. 14. Testamen-  
tum generans in servitutem, Gal. IV. 24. conf.  
Hebr. VII. 18. 19. Rom. VIII. 3.

Vid. B. Lutherus To. IV. Jen. Lat. f. 149. & B.  
Gerhard. Loc. de Lege, § 5.

### CXXXIII.

Paulus aliter de morte Christi, aliter de morte  
fidelium loquitur.

#### 1.

Ita Christum esse mortuum, expresse ait, Rom.  
VI. 10.

2. At fideles dormientes introducit, 1 Thess.  
IV. 13. Utrumque discrimin simul occurrit  
ib. v. 14. ubi Christum mortuum, fideles autem  
dormientes asserit.

Theophylacti hæc observatio est ad 1 Thess. IV.  
14. & Gregorii XII. Moral. 5. Illum nempe,  
quem jam resurrexisse noverant, eis mortu-  
um insinuare non dubitat; eos vero, qui nec-  
dum resurrexerant, ut spem resurrectionis  
insinuet, non mortuos, sed dormientes vocat.

Præterea Christi mors vere talis erat, velut  
peccati stipendum, ea vero in fidelibus mu-

Oo 4 tata



tata in suavem somnum. Egregie Megalander: St. Paulus heisset unsfern Tod nicht einen Tod, sondern einen Schlaff / und Christus Tod heisset er einen rechten Tod / damit gibt er dem Tode Christi eine solche tresliche Macht / daß wir dagegen unsfern Tod sollen für einen Schlaff achten. Tom. V. Altenb. fol. 973. b.

### CXXXIV.

*Paulus aliter de PRÆSENTIA Christi GRATIOSA, aliter de GLORIOSA, loquitur.*

#### I.

**S**ic, ubi dicit, Christum *apud nos, aut in nobis esse,*  
Gal. II. 8. 10. Eph. III. 17. descriptio est  
præsentia Christi apud nos *gratiosa*, in hac  
vita.

2. At, cum nos dicimur *esse cum Christo*, ut  
2 Cor. V. 8. Phil. I. 23. 1 Thess. IV. 17. descrip-  
tio est *gloriosa* præsentia in cœlis.

3. Idem discrimen in *Johanne* observat B.  
*Glassius*, *Explicat*: c. XVII. *Joh.* ubi p. 179. ita:  
Superius paulo, v. 23. dixerat Christus, *se esse in*  
*piis electis*, quæ est præsentia *gratiosa* in hac  
vita; nunc precatur v. 24. *ut pii sint secum,*  
*ubi ipse est*, quæ est præsentia *gloriosa* in altera  
vita.

Discrimen phraseos ita insinuat B. *Dorsch*:  
*Pentad.* p. 599. “ Nota: Deus *nobiscum esse* in  
hac vita, nos *cum ipso fore* in altera *dicimur*,  
quia advena cum suo hospitatore esse, & qui  
*venit ad alium*, cum eo, ad quem venit, esse di-  
*citur, non contra.* Deus vero ad nos viato-  
res

res venit, nos demum ad ipsum per felicem  
μετάβασιν εἰκ τῇ θαύτᾳ εἰς τὸν venturi  
sumus. ,,

Confunduntur hæc ex hypothesi *Calviniana*.  
Affirma enim, fide nos ascendere in cœlum,  
ibique Christum contemplari atque intueri:  
non inde sequitur, Christum nobiscum esse,  
sed potius nos esse cum Christo. conf. To. V,  
*Gicſſ. Disp. VII. § 72. 73. Vid. & To. III. Disp.*  
*IX. § 63. sq.*

### CXXXV.

*Apostolus abrogatas LEGES MOSAICAS dupliciti  
ad hoc modo allegat.*

#### I.

Sic genus ipsum, quod in ceremonialibus  
& judicialibus naturale & morale est, ad  
doctrinam proponit, ut: *Qui altari serviunt,  
de altari vivunt. Ergo justum est, ut, qui Evangelio  
serviunt, de Evangelio vivant.* 1. Cor. IX. 13. 14.  
Qua ratione autem Ministris prospiciendum  
sit de victu, liberum relinquit. Ita ex illa  
Lege: *Bovi trituranti non obligabis os*, Paulus sumit  
genus, quod est naturale, seu morale:  
*Dignus est operarius mercede sua.* 1 Tim. V. 18.

2. Sic ceremonias Mosaicas allegorice in-  
terpretatur, ut hostias & sacrificia, Rom.  
XII. 1. Hebr. XIII. 11. 12. 15. Pascha, 1 Cor. V. 7.  
circumcisionem, Rom. II. 25. 26. 27. Phil. III. 5.  
conf. de Sacerdotio, 1 Pet. II. 9. B. Chemnit. LL.  
Theol. P. II. f. m. 15. a. 18. a.



CXXXVI.

*Observandum, quod Apostolo Paulo Ià ἐπεργάντι  
sint omnia illa, quæ nobis à Christo  
obveniuntur.*

I.

**S**ic Eph. I. 3. c. II. 6.

2. Sic Hebr. III. 1. *vocatio supracœlestis* vo-  
catur, in oppositione, ratione umbræ & cor-  
poris, Hebr. X. 1. quia cœlestia sub V. T. fi-  
guris involuta erant, in N. T. revelata & præ-  
sentia sistuntur.

3. Sic Hebr. VIII. 5. typi & figuræ V. T. vo-  
cantur *umbra supracœlestium*, h.e. eorum, quæ  
in N. T. in Christo exhibentur & dantur. Ex-  
plicante B. Seb. Schmidio in Ep. ad Hebr. p. 307. sq.

CXXXVII.

*Quando apud Paulum preter ANIMAM vox  
SPIRITUS occurrit, vel ἐξηγησίως illa, pro na-  
tura animæ, vel ἐνεργησίως, pro donis spiritua-  
libus, vel denique παρασήμως, pro inha-  
bitatione Spiritus S. est accipienda.*

I.

**S**ic Hebr. IV. 12. *Sermo DEI* pertinet usque ad  
divisionem animæ & spiritus, per ἐξηγησίν, qua  
anima per spiritum describitur, intelligatur.  
conf. Esa. XXVI. 9. Luc. I. 46

2. Sic I. Thess. V. 23. *integer sit spiritus & a-*  
*nima & corpus, I. Cor. II. 12. Non accepimus spi-*  
*ritum mundi, sed Spiritum, qui ex DEO est, quis*  
*non*



non intelligit, dona Spiritus S. gratioſa indi-  
gitari?

3. Sic Rom. VIII. 1 s. *Spiritus testatur cum Spi-  
ritu nostro, quod simus filii DEI,* conf. I. Cor. III. 16.  
non tertia pars hominis essentialis, prout Fa-  
natici contendunt, sed gratioſa Spiritus S. in-  
habitatio denotatur. B. D. Neumann, *Theol.  
Aphorist.* p. 294.

### CXXXVIII.

*Apostolo Paulo solenne est, per FUTURUM SE-  
CULUM tempus N. T. indigitare.*

I.

**S**ic Deus ἡ̄ τοῖς ἀν̄ωσι τοῖς ἐπερχομένοις dicitur  
ostendere eminentem opulentiam gratiæ suæ; quæ  
sane luculenta N. T. descriptio est.

2. Sic Ebr. II. 5. afferit, *Deum orbem futurum,  
τὴν ἀπεργμένην τὴν μέλλονταν, non subiecisse Angelis.*  
Quo loco V. & N. T. status inter se conten-  
ditur, quod licet in regno gratiæ N. T. Ange-  
li ut πνεύματα λειτουργικὰ versentur, tamen  
nec expectandas amplius apparitiones An-  
gelorum, vel revelationes eorum admitten-  
das esse.

3. Sic per virtutes seculi futuri, Hebr. VI. 5.  
commode intelligas virtutes & miracula se-  
culi Evangelici, quippe quæ & cum καλῶς οὐμαζι  
τῇ Θεῷ, seu *Verbo Evangelii*, conjungebantur,  
& obduratos vel maxime convincebant.

Nimirum Paulus, quasi intra divertium u-  
triusque Foederis constitutus, suum illud,  
quod degebat ævum, *præsens*, quod vero in-  
'fseque-



sequebatur, futurum appellabat; Sicut Ju-  
dæi inter הַזֶּה וְעַלְמָה <sup>עולם הבא</sup> & עַלְמָה distinguishing  
bant, vid. B. D. Neumann *Programm.* p. 180. &c.  
Hinc & B. Seb. Schmid. ad Hebr. III. 5. observat:  
In Epistola ad Hebreos futura notant tempora  
Christi.

## CXXXIX.

*VETUSTAS & NOVITAS* apud Paulum non  
tam de tempore, quam bonitate, utilitate  
& firmitate, usurpatur.

## I.

**I**ta *vetus homo* est, qui corruptus est & ma-  
lus, si vel natus sit recentissime; *novus* au-  
tem homo est, qui incorruptus & bonus, si  
vel Methusalah sit senior. Col. III. 9. 10.

2. Eodem modo *Vetus Testamentum* est, quod  
ad Justificationem nihil potest aut prodest;  
*Novum*, quod potens & utile; ideo Aposto-  
lus vocat *vetus γηράσκον*, & *propinquum eva-*  
*nescientiæ*. Hebr. VIII. 13. conf. 2 Cor. V. 17. B.  
Schmid. Comm. ad Hebr. p. 885.

## CXL.

*In Epistola ad HEBRÆOS* vocabulum μέλλων  
sumitur pro eo, quod optimum atque  
perfectissimum est.

## I.

**H**oc modo μέλλωση ὄμενη, c. II. 5. dici-  
tur, &c. VI. 5. μέλλων αἰών, qui jam est,  
invisibilis autem nobis est, cœlestis & perfe-  
ctissimus, Eph. I 21. ubi opponitur ἡ αἰώνι  
τάτων



γέλω, h.e. caduco & perituro. conf. tamen  
Enth. CXXXVIII.

2. Sic Isaac dicitur benedixisse Jacobo περὶ μέλ-  
λόντων, Hebr. XI. 20. quia praecipuorum bonorum,  
h.e. primatus in Sacerdotio & regno, uti ap-  
pellatur Gen. XLIX. 3. ipsi potestatem dedit.

3. Sic & c. XLI. 14. μέλλοντα πάλις καὶ μέ-  
λλοντα, est illa ipsa coelestis Hierosolyma, de  
qua c. XII. 22. quæ μέλλοντα dicitur, tum quia  
nobis per fidem *eventura* est, tum vero inpri-  
mis, quia *optima* est & *perfectissima*, *invisibilis* &  
*coelestis*.

4. Sic & c. IX. 9. dicuntur μέλλοντα ἀγαθά,  
non tam quia erant futura, sed in primis quia  
*optima*, *perfectissima*, & *per se id efficientia*, quæ  
salus nostra requirit, Juxta B. Dorsch. Comm.  
posth. in Ep. ad Hebr. p. 483.

### CXL.

*Paulus in Epistola ad HEBRAEOS frequentius  
nomine JESU utitur.*

Εὐθεσίς.

#### §. 1.

Scilicet, cum Apostolus in reliquis suis Epi-  
stolis plerumque vel solo *Christi* nomine  
utatur, vel nomina *JESU* & *Christi* conjun-  
gat; saepius tamen in ad *Hebraeos* Epistola so-  
lum *JESU* nomen ponit.

§. 2. Cum enim Hebrei ante conversio-  
nem suam acerrimi nominis hujus hostes  
fuerint, quemadmodum & ipse Apostolus,

A&t.



Act. XXVI. 9. ita partium suarum nuncesse  
judicabat, Hebræos ad reverentiam hujus,  
nominis tanto diligentius excitare. B. Itig.  
Exerc. Theol. ad Hebr. II. 9. c. II. §. 14. sive in  
Opusc. var. p. 93.

## CXLII.

*Hic est stylus Pauli, ut Aoriso ἔγραψα utatur  
de iis, quæ eodem momento scripserat.*

**V**idelocat Cor. V. 11. 2 Cor. II. 3.4. Gal. VI.  
11. Atque, hoc modo explicandus locus,  
Cor. V. 9. *Scripsi vobis in Epistola, non commisceri  
cum scortis, ut adeo nihil in eo præsidii pro  
Traditionibus, suis inveniant Papicola. confer*  
B. Schomeri Exeg. ad h. l.

## CXLIII.

*Particula dñi in Epistolis Paulinis saepe STATUM  
denotare solet.*

I.

**I**ta Rom. IV. 11. sunt πιστεύοντες δι αὐτοῦ βασίας,  
i.e. credentes, qui sunt sub præputio, vel in  
statu præputii. conf. &c. II. 27.

2. Ita διὰ προσφορᾶς, Hebr. X. 10. dicun-  
tur, qui sunt sub victimam, vel in hoc statu, ut  
credant in victimam, JESUM Christum, ex-  
plicante B. Seb. Schmidio Comm. ad Hebr. pag.  
1062.

3. Ita mulier dicitur salvari dñi τεκνογονίας.  
Tim. II. 15. non quasi liberorum genera-  
tio



tio tanti sit coram DEO meriti, ut per eam  
contingat æterna salus, quæ Pontificiorum hic  
 $\sigma\pi\epsilon\beta\lambda\omega\eta\varsigma$  est; sed sensus ex data Regula inte-  
ger hic prodit: Mulier quidem obnoxia fa-  
cta est seductioni satanæ, sed bene habet,  
non ideo omni spe salutis excidit, quin po-  
tius hoc ei Christus impetravit, ut in suo  
muliebri statu & opere  $\tau\epsilon\kappa\gamma\gamma\omega\eta\varsigma$ , quan-  
tumvis id non sit ab omni labe peccati libe-  
rum, salvari tamen possit, si videlicet man-  
serit in fide, &, à quibus fides divelli ne-  
quit, virtutibus, dilectione videlicet proximi-  
mi, sanctificatione & castitate. B. Walther. in  
Harmon. Bibl. ad h. l.

#### CXLIV.

PETRUS Epistolas suas præcipue Judæis, dehinc  
vero & aliis fidelibus, dedicavit.

##### I.

Quia, ut Paulo concreditum erat Evange-  
lium præputii, sic Petro Evangelium cir-  
cumcisionis, Gal. II. 5. 7.

2. Quia ipsos etiam peregrinos & advenas allo-  
quitur, i. Pet. II. 10.

3. Quia etiam compellat illos, qui æque pre-  
iosam fidem sortiti fuerant, i. e. Gentiles, 2.  
Pet. III. 1.

Nunquam enim sic limitatum fuit Apo-  
stolorum officium, quin singulis patuerit  
totus terrarum orbis.

#### CXLV.



## CXLV.

Solenne PETRO est, dictis & exemplis V. T.  
doctrinas suas confirmare.

## I.

**S**ic Prophetas V. T. ut testes futuræ gratiæ allegat, 1. Pet. I. 10. 12.

2. Sic Christum, ut *lapidem angularem Sionis*, more Prophetico describit. 1 Pet. II. 6.

3. Sic passionem & mortem Christi ipsis *Esaiae* verbis delineat, 1 Pet. II. 21. 22. 23. conf. c. I. 19.

4. Sic Scripturam Propheticam cum *lumen* conferens, 2. Pet. I. 19. ad Ps. CXIX. 105, respicit.

5. Sic ex Ps. XXXIV. eximium pensum repetit. 1 Pet. III. 10. 11. 12.

6. Sic diluvium Noachicum, ut typum Baptismi adducit, 1. Pet. III. 20.

7. Sic exemplo Angelorum lapsorum, exemplo mundi antediluviani, exemplo Sodomæ & Gomorræ, Lothi, Bileami, aut impios terret, aut solatur piös & erigit.

Idem in Epist. *Juda* occurrit, quæ tota est exhortatio, ut perseverent in fide, in vocatione & inchoata obedientia, sumta à combinatione pœnarum. vid. *Melanchthon*. Explic. Ev. P. IV. p. 246. conf. p. 470.

Hinc probe observat *Megalander*: St. Peter ist reich von Schrifften / greift weit um sich in der Schrift/ To. II. Alt. f. 424. b. & f. 431. b. Er führt durch und durch immer einen Spruch in den andern,



dern. Ita cum c. l. loquitur de sanguine adspersio-  
nis. Es läufft / ait , auf das Gesetz Mosi , da hat es  
S. Petrus hergezogen/ und will uns den Mosen auf-  
decken und in die Schrift führen. Ex. XXIV. l. c.

Nimirum Harmonia Prophetico-Aposto-  
lica de identitate fidei & doctrinæ nos certos  
reddit.

CXLVI.

*PETRUS sub ipso revelationis statu Auditores  
suos ad Scripturam Canonicam remittit.*

1.

**S**ic Evangelium, ultimis temporibus revela-  
tum, commendat ceu pignus, in Ecclesia  
perpetuo mansurum, 1 Pet. I. 12. 13. 24. 25.

2. Sic. 2 Pet. I. 19. 20. à revelatione illustri  
Thaborica ad verbum Propheticum suos re-  
vocat.

3. Sic contra futuros Empectas servare ju-  
bet verbum, à Prophetis & Apostolis revela-  
tum, 2 Pet. III. 2.

Itaque nec alios Apostolos, nec aliud ver-  
bum Apostolicum expectare debemus cum  
Fanaticis. conf. Enth. XI.

CXLVII.

*Petrinum est, CHRISTUM appellare DOMINUM  
& SERVATOREM NOSTRUM.*

1.

**V**ideloca, 2 Petr. I. 11. Cap. II. 20. c. III. 2. &  
18. Scilicet omnes Apostoli in eo sunt, ut  
Majestatem Christi divinam extollant, Chri-  
stumque verum DEum esse ac Dominum no-  
strum, demonstrant.

CXLIX.

PETRUS per Articulum de RESURRECTIONE  
CHRISTI fidem nostram in primis confirmat.

I.

Sic 1 Pet. I. 3. Spem vitæ eternæ per resuscitationem  
Christi nobis datam, indigitat.

2. Sic ib. v. 21. Christum ideo resuscitatum esse  
docet, ut credamus in ipsum & speremus.

3. Sic 1 Pet. III. 21. Baptismum nostrum va-  
lidum esse docet per Resurrectionem Christi.

Nimirum in hoc conspirat cum Paulo,  
quod Resurrectionem Christi fulcrum & fun-  
damentum fidei nostræ esse doceat.

CXLIX.

Petrinum est, vocationem Electionis nomine efferre.

I.

Sic 1 Pet. I. 1. Electos peregrinos salutat.

2. Sic per genus electum 1 Pet. II. 9. haud du-  
bie vocatos intelligit, quandoquidem dicuntur  
ibidem à tenebris vocati in admirabilem lucem.

3. Sic 1 Pet. V. 13. συνεκλεκτή, i. e. una vocata.

4. Hinc 2 Pet. I. 10. vocationem & electionem  
εξηγητικῶς conjungit.

Usus est Elencticus adversus Huberum, qui  
Electionem universalem comminiscebatur,  
his aliisque locis abusus.

CL.

Familiare est PETRO, Fidem salvificam appellare  
επίγνωσιν.

I.

Ita 2 Pet. I. 8. Domini nostri J.C. επίγνωσιν ap-  
pellat



pellat fidem, quippe de qua egerat v. 1. & 5.

2. Sic 2 Pet. II. 20. qui effugerunt inquinamēta mundi επιγνωσεi Domini & Servatoris J. C. itidem fidem intelligas, hæc enim à pollutōnibus mundi aliena est.

3. Similiter 2 Pet. III. 18. Crescite in Gratia & γνώσεi Domini. Nimirum præcipua fidei pars επιγνωσίς est, quæ proinde per Synecdochē sic appellatur. conf. Tit. I. 1. Id quod contra Pontificios notandum est.

### CLI.

Hunc morem tenet Petrus Apostolus, ut egregiam adhortationem unam alteri semper annexat.

#### I.

1. Sic 1 Pet. V. 6. 7. adhortationi ad humiliatatem factæ, aliam addit defiducia filiali, in DEO ponenda.

2. Sic 1 Pet. II. 11. seqq. & multis locis aliis.

### CLII.

Apud Petrum de TRIBUS PRETIOSIS sermo est.

#### I.

Sic loquitur de pretioso Christi sanguine, 1. Pet. I.

19. Conf. B. Dorsch. in Pentad. p. 374.

2. Sic pretiosarum promissionum mentionem facit ib. v. 4.

3. Similiter pretiosam fidem deprædicat, 2 Pet. I. 1.

Hæc scilicet pretiosa arcto nexu inter seco-hærent, ubi fides in sanguine Christi remissiōnem impetrat, vi promissionum divinarum.



CLIII.

PETRUS verbo πορέυεσθαι crebro in suis Epistolis,  
nullibi tamen frustra, eo utitur.

I.

Ita in bono sensu usurpat, qui est πορευθεῖς profe-  
ctus in cælum. 1 Pet. III. 22.

2. Ita in malo significatu adhibet, 1 Pet. IV. 3.  
ubi introducit πεπορευμένας τὸν ἀστελγείαν s. &  
2 Pet. II. 10. πορευομένας in concupiscentia polluti-  
onis. it. c. III. 3. Empectas, secundum proprius suas  
conscientias πορευομένας.

3. In his itaque locis cum verbum πορέυεσ-  
θαι non redundet, ergo nec 1 Pet. III. 19. pro  
superfluo præcise habendum erit, ubi Christus  
profectus prædicasse dicitur spiritibus, qui erant in car-  
cere. Neque vero improprie & metaphorice  
illud accipias pro perpetuissime dolorum infer-  
nalium in profundissima exinanitione, sed  
proprie, ut notet motum realem de loco, ex  
sepulcro videlicet in πᾶς damnatorum, seu in-  
fernū, pro statu & conditione corporis  
Christi glorificati. vid. B. Quensted. System. P. III.  
f. 374. b.

CLIV.

JACOBUS Apostolus in doctrina de IUSTIFICATI-  
ONE per fidem Paulo neutiquam contradicit.

I.

Quia uterque Christianismum pro scopo ha-  
bet: Paulus magis fundamentum urget,  
& fidem inculcat, contra Phariseos atque hy-  
pocritas: Jacobus vero magis studium sancti-  
moniæ urget, ceu fidei testimonium, contra  
Epi-



Epicureos & irregenitos. Ad hunc modum egregie notat B. Chemnit. quod primotempore prædicationis Apostolorum opponebantur disputationes de disciplina Legis ; sed cum hac ratione non posset præpediri cursus Evangelii, diabolus Epicureismum excitavit in Ecclesia. Ethinc reperitur talis differentia in scriptis Apostolorum : quod priores Epistolæ contra persuasionem de Justitia Legis pugnant ; posteriores vero urgent fructus pœnitentiæ, & refutant Epicuræas opiniones de licentia vitæ. To. II. LL. Theol. f. m. 238. a.

2. Quia *Fides* apud *Paulum* notat fiduciam meriti Christi apprehensionem; apud *Jacobum* vero externam fidei professionem significat, ut appareat ex Jac. II. 14. ubi quis dicit, se habere fi-dem. conf. v. 18.

3. Q. *Paulus* affirmat, *justificari* hominem coram Deo, i.e. à peccatis absolvī, & in gratiam recipi, non operando, sed credendo, exemplo Abrahāmi ; Rom. IV. apud *Jacobum* autem fides & opera simul *justificant*, i.e. non sola professio fidei, verum etiam opera illi conformia arguunt & declarant, hominem vere *justificatum*, c. ll. 24. Ut adeo *justificari* apud *Jacobum* idem sit, ac declarari sive demonstrari *justum*, quod facile colligitur ex scopo, & tota disputationis serie.

4. Adeoque non implicat diversa ejusdem testimonii ex Gen. XV. 6. applicatio : *Creditit Abraham DEO, &c. Nam D. Paulus Rom. IV. 3.*



ex verbis illis infert, Abrahamum esse justificatum fide sine operibus. Jacobus autem, c. ll. 23. non ex ipsis verbis argumentatur, sed ex eorundem *complemento*, i.e. ex consequente arguit antecedens: *Impleta est Scriptura*, q.d. Ex hoc insigni facinore Abrahami apparuit verissimum fuisse, quod *Scriptura* 30. annis jam ante de Abrahamo testificata erat, *vere credidisse DEO*, & *hoc ei imputatum fuisse ad justitiam*. Sicut & *Epist. ad Hebr.* argumentatur: Fidem Abrahami ex immolatione filii cum primitis eluxisse, c. XI. 17. conf. Act. XIII. 32. 33. vid. ex professo B. Hülsem. in *Harmonia Apostolica SS. Pauli & Jacobi de Justificatione*, quæ Tractatui ejus de *Auxil. Grat.* subnexa est. B. Menter. To. V. Gieß. Disp. XI & B. Höpfner: de *Justificat.* p. 1067 seqq.

CLV.

S. JACOBUS plurimis delectatur similibus.

**V**Ide c. I. 6. 10. 11. 23. c. II. 26. c. III. 3. 4. 5. 7.  
12. c. IV. 14. c. V. 7.

Adeo nec Spiritus S. elegantiam sermonis adsperrnatur.

CLVI.

**J**OHNNES in Epistolis suis Summam Christianismi de FIDE & CHARITATE unice inculcat.

Ἐκθεσις.

§. I.

**D**uæ nempe Christianismi partes sunt: *Fides & charitas.* Illam in *Paradiso* rapuit satan, hanc in Caino. *Qui ab initio peccat,*



cat, aut mendacii, aut homicidii opus facit. Altero tollit fidem, altero charitatem, ex observatione B. *Lutheri*, Comm. posth. in I Joh. p. 154. Hæc causa est, cur summam Christianismi unice urserit Johannes.

§. 2. Ita enim *κεφαλειον* Epistolæ suæ indicat ipse, I Joh. III, 23. Ut credamus in Christum, & pie vivamus. Quoad fidem autem Deitatem Christi, & quoad pietatis officia charitatem proximi in primis urget.

§. 3. Fidem nimirum & pietatem vitæ arcte inter se connectit Apostolus, ostenditq; argumenta, quæ ad zelum & constantiam in *Fide* impellunt, simul *pietatis* incentiva esse.

§. 4. Alias B. *Lutherus* in *Collög. Mensal.* notat, Johannem, posteaquam *Evangelium* suum scripsisset de vera fidei natura ac proprietate, adactum fuisse, ad *Epistolas* suas de bonis operibus exarandas, propter eorum malitiam, qui Evangelio ad carnalem securitatem abutuntur.

### CLVII.

*Scopus vero, ad quem hæc collineant, est REGENERATIO hominis, seu FILIATIO SPIRITUALIS.*

*Ἐκθεσις.*

### §. I.

Ex consilio enim *Aristotelis* aurea hæc regula probe tenenda est: De quocunque subjecto plurima, eaque essentialia prædicta, investigari possunt, illud præcipuum textus argumentum, adeoque pro scopo il-



lius cognoscendum est. Conf. poster. *Analyt.*  
L. II. c. 13. §. 2.

§. 2. Hujus igitur Regulæ beneficio B. Rap-  
poltus evincit, palmarium Epistolæ Joanneæ  
thema esse, ideam *Filiī DEI*, sive *hominis re-  
geniti* describere.

§. 3. Hunc nimirum prædicata, ut vocat  
ipse, essentialia indicant. *Credere in Nomen  
Filiī DEI*, *purificare se*, *peccatum non committere*,  
*exercere justitiam*, *non posse peccare*, *diligere fra-  
trem*, *odio esse mundo*, *animam ponere pro fratri-  
bus*, *non claudere viscera erga egenos*. Horum  
coacervatio perfectam Filii DEI definitio-  
nem gignit. vid *Comm. ejus in I Joh. Ep. p. 4.*

### CLVIII.

*Scribendi modus Johanni est APHORISTICUS.*

Ἐκθεσις.

### § 1.

**E**xponam rem verbis B. Seb. Schmidii: Jo-  
hannes, ait, certos habet Aphorismos,  
quorum singulis suam statim, & nonnun-  
quam satis prolixam subjungit ἐκθεσιν, qua-  
modo ex iis doctrinæ per bonam conse-  
quentiam eliciuntur; modo verba aut res  
amplius exponuntur aut probantur.

§. 2. E.G. post Exord. Ep. prioris 1. Aphor. est  
v. 5. Deus lux est, & tenebræ in ipso nullæ sunt.  
Huic Aphorismo amplius expositionis ergo  
v. 6. & 7. duas addit doctrinas, unde vult ta-  
cite concludere: Ergo ambulemus in luce,  
sicut ipse in luce est, ut veritatem faciamus,  
&



& veram communionem habeamus in ipso  
inter nos. &c.

§. 3. Non absimilis igitur hæc Epistola est  
*Ecclesiastæ Salomonis*, in quo etiam varii Apho-  
rismi de vanitate mundi inveniuntur, quo-  
rum singuli suas habent ulteriores & uberior-  
es expositiones, interpositis quoque A-  
phoristicis sententiis aliis. vid. Comm. in i  
Joh. p. 6. Conf. B. *Æg. Hunn.* Opp. T. IV. fol.  
992 b. CLIX.

Johannes DEMONSTRATIONIBUS  
frequenter utitur.

§. I.

Ita nunc observationem mandatorum DEI,  
seu studium novæ obedientiæ, ex virtute  
& efficacia veræ agnitionis Christi, tanquam  
effectum ex sua causa urget c. II. 3. 4. Nunc  
dilectionem DEI ex dilectione proximi, tan-  
quam causam ex effectu suo concludit. c.  
IV. 20. 21.

§. 2. Hinc & særissime utitur Apostolus  
verbo *cognoscendi*, εν τέλω γινώσκομεν. ut: c. II.  
3. 5. c. III. 16. 24. c. IV. 2. 13. c. V. 2.

§. 3. Neutiquam igitur has inanes repeti-  
tiones dixeris, sed dialecticas conclusiones,  
quibus aliud ex alio deducit.

CLX.

Johannes pleraque ex oratione Christi ultima in suas  
Epistolas, primam præsertim, rededit.

§. I.

Est hæc observatio B. Gerbardi, Harm. Ev.  
c. CLXXX. fin. quæ ex ipsa collatione  
facile corroborari posset. §. 2.



§ 2. Hoc ipso vero tum valedictorium sermonem Christi, tum προαγώνιον orationem singulariter nobis commendare voluit.

## CLXI.

*Oratio Johannis licet sit melliflua, ut ex Evangelico affectu profluens, simul tamen gravior est, & non raro fulminans.*

Εὐθεσίς.

## §. I.

**I**tà Oratio melle dulcior est, 1 Joh. II. 1. 2  
Paracletum habemus apud Patrem, 3. C. justum, &  
ipse propitiatio est. c. III. 1. Videte, qualem dilectionem dedit nobis Pater, ut liberi DEI vocemur, &c.

§. 2. Interim & dicta duriuscula immiscet, ut c. I. 6. 8. Mentimur, & non facimus veritatem. c. III. 8. Qui facit peccatum, ex diabolo est. c. IV. 3. Omnis Spiritus, qui non confitetur, Jesum Christum in carne venisse, ex DEo non est.

§. 3. Notes hic, ex 2. Ep. v. 6. 7. quod Deus imperet per Johannem amorem, imperet odium: hoc erga Anti-Christos, illum erga proximum, cumprimis vero ὅμεις τῆς πτησίως. Ita præceptum de Christiana charitate non adversatur præcepto de observanda verbi divini veritate, ut egregie notat B. Sonntag. in Hecdec. p. 43.

§. 4. Ostendit Canon, in docendo verbum duriusculum, ceu medicinam amaram, inspergendum esse, ad eo majorem attentio nem atque cautelam excitandam.

## CLXII.



CLXII.

Solenne est Johanni Apostolo, Auditores suos  
FILIOLOS vocare.

Enθεσις.

Rationem hanc reddit B. Hildebrand. in Antiqu. S. p. 179. Paulus & reliqui Apostoli Auditores suos fratres appellant: hi enim scripserunt, tanquam ad coetaneos: Johannes autem Filiolos compellat, ut qui in extrema senectute scripsit.

CLXIII.

Johannes identidem repetit voces hypocritarum, in inani de Christianismo persuasione acquiescentium.

Prob.

I.

Ita c. I. ter: εὰν εἰωωμεν, si dixerimus, quod communionem habemus cum ipso, &c.

2. Ita c. II. 4. Qui dicit: Cognovi ipsum, Εĩ precepta ejus non servat. &c. conf. v. 6. 9.

3. Similiter c. IV. 20. si quis dixerit: Amo DEUM, Εĩ fratrem suum odio habet, mendax est.

Et ex hoc idiotismo stylum Johannis facile agnoscas. CLXIV.

Est hic mos Johanni, ut ex postremo verbo aliquo novam captet dicendi materiam.

Prob.

I.

Ita ex iis, quae de Renascentia ex DEO in fine cap. II. pr. Ep. admonuerat, inestimabilem divinæ adoptionis honorem deducit,  
& ad



& ad institutum de vitæ sanctitate , nova obedientia & Christiana charitate sectanda, applicat. Observante B. Rappolto, Opp. p. 253. fin.

2. Ita hucreferas i Joh. I.3. *Quod vidimus & audivimus ( illud vero jam præcellerat, ) annunciamus vobis. Ubi B. Seb. Schmid. Mos est Scripturæ Sacræ, ut , quando iis, quæ dicta sunt, novam aliquam circumstantiam addere vult, ex dictis aliquid reassumat , cui novam hanc circumstantiam annexit.* p. 62.

### CLXV.

*Demonstrandi vis apud Johannem sæpe acuitur loquendi genere universali , voce πᾶς expresso.*

#### Prob.

##### I.

1. **Joh. II. 16.** *OMNE, quod est in mundo, non est à Patre &c.*

2. **Ib. V. 23.** *OMNIS, qui negat Filium , nec Partem habet.* conf. & v. 29.

3. **I Joh. III. 3.4.** *OMNIS, qui habet spem hanc, purgat seipsum. OMNIS, qui facit peccatum , & iniquitatem facit.* conf. & v. 6. 9. 10. 15.

4. **I Joh. IV. 2. 3.** *OMNIS Spiritus , qui constitetur JEsum Christum in carne venisse , ex DEO est. & contra. Adde c. V. 1. 4. 18.*

Facit hæc particula ad Orationis δεῖνωσιν , quæ in Versione Germanica sæpius omissa est.

### CLXVI.

*Evangeliī hostes à Johanne ANTI-CHRISTI appellations insigniuntur.*

*Ex Tertio.*



Expositio.

§. 1.

Distinctio hic tenenda inter Anti-Chri-  
stum, generaliter & determinate sumtum,  
Quoties nempe Apostolus de tali Anti-Chri-  
sto loquitur, qui jam jam suo venerit tempo-  
re, 1 Joh. IV. 3. 2. Ep. v. 7. toties ipsum de Hæ-  
resiarchis sui temporis, Cerintho, Ebione, &  
aliis Anti-Christi magni anteambulonibus,  
accipias. Quoties vero de tali agit, qui ad-  
huc sit venturus, ut 1 Joh. II. 18. toties ma-  
gnum istum τὸν ἀντιχείμενον καὶ ἀνομον, de quo  
Paulus 2 Thess. II. indigitari existimes.

§. 2. Observes enim, quod prima Anti-  
Christianismi semina jamdum Johannis tem-  
pore sparsa fuerint. Unde ait 1 Ep. IV. 3. Hic  
est ille Spiritus Anti-Christi, quem audivistis  
venturum esse, & jam nunc in mundo est. Certe  
uno omnes Anti-Christi spiritu ferebantur.  
conf. B. Sonntag. in Hecdec. p. 45. sq.

CLXVII.

Ut suavis harmonia rerum ac phrasum inter Evange-  
lium Johannis & primum ejus Epistolam datur: Ita  
quoque secundam & tertiam Epistolam prioris  
velut compendium dixeris.

Prob. Prius.

1.

Iacum Evangelium suum hac formula inci-  
piat: εὐ αρχῇ ἦν ὁ λόγος; Joh. I. 1., Similiter  
primam Epist. inchoat his verbis: ὁ ἦν ἀπὸ αρ-  
χῆς, (nempe λόγος ζωῆς) 1 Joh. I. 1. ib. de λόγῳ  
dici-



dicitur: ἐν αὐτῷ ζωντείνεις, v. 4. & h. l. v. 2. dicitur: Et vita manifestata est, imo vita hæc erat apud Patrem, coll. Joh. I. 1. 2. confer de ἐθεατάμεθα, Joh. I. 14.

2. Ità Præceptum de *Dilectione*, quod Christus apud Johannem tam sedulo inculcat; per totam Epistolam repetitur.

3. Ita Aphorismus Johanneus i Joh. IV. 9. *In hoc manifestata est dilectio DEI in nobis, quod Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per ipsum;* cum Joh. III. 16. plane coincidit. Plura in præsenti non addo.

Prob. posterius.

Ex accurata Epistolarum collatione, quam instituit B. Sonntag. in Heedec. p. 7. 8. Unde non abs re censet Cocceius alicubi. Summam totius primæ Epistolæ & doctrinæ de Christo atque Anti-Christo repeti in secunda (& tertia.)

Est nempe hæc libertas Spiritus sancti, ut eandem, unus cum primis Amanuensis sacri phrasin, eandemque sententiam iteret.

Nec parum facit ad duarum posteriorum Epistolarum συνθετικay, cum ex harmonico Φραστεολογίας Joanneæ confessu appareat, has posteriores æque ac primam, unius parentis, divinitus inspirati, germanam esse sibolem.

### CLXVIII.

*Diversa apud Johannem, phasis est: PECCATUM FACERE; ET PECCATUM HABERE.*

I.

**I**ta peccatum facere, i Joh. III. 8. 9. deliberatum peccandi propositum includit, notatque, toto cordis affectu in malum ruere, nec ideo in renatum, quamdiu talis esset, cadit. Egregie notat B. Seb. Schmid. stylus scripturæ hic est, ut de fidelibus non soleat dicere, quod peccant, quod peccatum faciant, nisi quando ex proposito, malitiose, contra conscientiam

entiam & ita peccant, ut peccato inhabitanti dominium permittant. Ita i Joh. III. 6. qui in Christo manet, *nun pecat ipse*, scilicet volens, licet peccatum peccet & malum faciat in invito & nolente. in i Joh. Ep. p. 280.

2. Ita *Peccatum habere*, i Joh. I. 8. c. II. 1. significat, habere annatam peccandi, ad minimum venialiter, necessitatem; & fideles, quamdiu in mundo agunt, per infirmitatem labi posse. sic tamen, ut peccato non consentiant, sed cum gemitu illi reluctentur.

Hac æquivocatione non animadversa, inextricabili difficultate tota Johannis Epistola involvitur. conf. B. Myl. in *Explicat. A. C. P.* I. p. 176. b.

## CLXIX.

*PURIFICATIO apud Johannem alia ad Articulum JUSTIFICATIONIS, alia ad SANCTIFICATIONIS Articulum pertinet.*

## I.

Ita cum i Joh. I. 7. dicimus *emundari à peccatis*, intelligitur purificatio, quæ ad Articulum *Justificationis* pertinet, & fit apprehensione expiationis Christi meritoriae & remissione peccatorum nostrorum. 1. enim edocet hoc phrasis Textus: *Emundatio scilicet à peccato* in universa Scriptura nihil aliud denotat, quam *Justificationis* actum, conf. Jer. XXXIII. s. c. IV. 14. Es. I. 16. 18. Ps. L. 4. Tit. II. 14. Ebr. IX. 14. Ap. I. 5. c. VII. 14. 2. Constat ex contextu, hanc sanguinis emundationem esse causam meritoriam mysticæ credentium cum DEO unionis: At enim vero nemmo hoc de sanctificatione asseveraverit: Ipsa enim renovatione unionis gratiam ordine naturæ insequitur.

2. Ita i Joh. III. 3. ubi pius seipsum purificare dicitur, purificationem intelligas, quæ ad Articulum *sanctificationis* spectat, & fit, cum à Spiritu S. renovante vetus homo exiuitur & mortificatur, novusque induitur & creatur in nobis, conf. Apoc. XXII. 11.

Temere hæc confunduntur à Papistis, atque etiam à Sanctis modernis, cum tamen accurate distinguenda sint. Aliud enim est *Justificatio*, aliud *Sanctificatio*: illa præcedit, hac sequitur. vid. B. Calv. Bibl. Illustr. N. T. Tom. II. fol. 1593. b.

## CLXX.



## CLXX.

*Johannes Renovationem nostram equidem ut infallibile γνώσιμα, neutquam vero ut causam divine gratiae ac salutis, s̄epius depraedat.*

*Erob.*

*¶ 1. Ita i Joh. II. 3. Per hoc scimus, quod cognovimus eum, si precepta illius observamus, i. e. ab obedientia nova, tanquam effectu, judicium fieri potest, num quis Christum vere ac salutari fide cognoverit.*

*2. Ita i Joh. III. 14. Nos scimus, quod translati sumus de morte ad vitam, quia diligimus fratres. Ubi tenendum est contra Pontificiorum depravationem, quod Johannes charitatem nostram non ut causam assignet translationis ex morte in vitam: id enim soli charitati DEI, qua nos in Filio complexus, āscribendum est; sed potius ex dilectione proximi, velut ex adjuncto signo & velut fructu quodam fidei de fide ipsa, & ex hac deinde de salutari ista translatione certiores nos fieri vult: ut adeo particula quia hic non causalis sit, sed ratiocinativa. conf. v. 19. 22. & B. Aeg. Hunn. Opp. To. I. f. 615. sq. 619. sq.*

*3. Ita i Joh. IV. 12. Si diligamus nos invicem, DEUS in nobis manet. Ubi rursum nostra dilectio non constituitur causa gratiosae habitationis DEI in nobis; sed ab effectu ad causam declarandam procedit Evangelista, q. d. ex hoc veluti signo colligi potest &c.*

*4. Ita in Filio DEI, JESU Christo sumus, scilicet per fidem, i Joh. V. 20. Sed per observationem praceptorum cognoscimus, quod in ipsis sumus. i Joh. II. 5.*

*Móνω τῷ Θεῷ ἡ δόξα.*

*Errata quedam Typographica.*

Pag. 79, lin. 21, leg. Deum. p. 405. lin. 3. leg. ad Christum uenire. ib. lin. 8. leg. ipsos. p. 478. XXII. 2. pro 1. 2. leg. 12. p. 510. in: promira- leg. mirabilis. p. 520. LXVII. leg. dicie. ib. pon. p. 531. p. 522. 3. leg. spirans &c.

